

GAUDEO

IOANNIS DE LAET
Antwerpiani

RESPONSIO

AD

DISSERTATIONEM
SECUNDAM
HVGONIS GROTII,

DE

Origine Gentium Americanarum.

Cum Indice ad utrumque libellum.



AMSTELRODAMI,
Apud Ludovicum Elsevirium.
clɔ Iɔ c XLIV.



Benevole LECTOR.

SPeraveram Clarissimum Virum Hugonem Grotium mihi gratias fuisse acturum, quod modeste illum monuissem ea, quæ perperam in sua Dissertatione de Gentium Americanarum origine *posuerat: atque plures vias demonstrassem ad diligentiorem indaginem & pleniorem explicationem hujus difficillimæ quæstionis: verum ille, impatiens sibi contradici, pro gratia reposuit convitia, in secunda hac sua dissertatione nullò alio nomine me dignatus quam Obtrectatoris, presbyteri, exercitoris. Nemo autem à me expectet ut par pari referam, & convitia convitiis diluam, id alienum est ab ingenio meo: verumtamen si paulo acrius, quam in priori scripto, errores illius, tum superiores tum quos jam addidit, attigerim, responsum putato, quia læsit prior. Moderabor tamen mihi*

quantum possum, neque ad impetiginem illius quicquam adferam quam modicum salem. Hoc tantum te monendum duxi; quum intelligam ipsum ægerrimè tulisse, quod tantum Clarissimi Viri titulo usus fui, & non Illustrissimi aut Excellentissimi; me nunc omnibus titulis consulto abstinuisse, quia mihi incertum erat quo potissimum delectaretur, & eligere posset quem vellet. Nam cum quæstio hæc nihil ad Legatum pertineat, putavi mihi cum illo tanquam privato esse agendum. Ego me ad secundam Dissertationem confero, eodem ordine, quo prius, ut manifestius pateat quid ille dixerit, & quid ego respondeam. Quod ipse studio videtur declinasse, ut aliquid dixisse putaretur, quum revera causam suam nihilo meliorem fecerit. Sed tuum, Benevole Lector, judicium erit.

HVG.



HUGONIS GROTII
De Origine
GENTIUM AMERICANARUM.
Dissertatio altera.

PRoposueram nuper mea cogitata super quæstione, unde ortæ sint gentes magnæ terrarum partis, quam nunc vulgo Americam, aut Indiam occidentalem dicimus. Et proposueram modestissime, rationes meas adferens, sine cujusquam injuria, & ita ut paratum me ostenderem sequi eos qui certiora possent indicare, promitterem etiam me gratiam iis acturum.

RESPONSIO
IOANNIS DE LAET.

EA promissio me movit, ut Notas meas ad illam tuam dissertationem pararem atque ederem, atque ostenderem, rationes tuas non satis validas esse ad probandum cogitata illa tua quæ proposueras, idque cum pari modestia, & sine tui aut cujusquam alterius injuria: nisi forte immodestum judicas à te dissentire,

aut injuriam, tibi contradixiſſe: uti certe videris; nam aliam injuriam tibi factam aut ullum convitium in toto meo ſcripto te non oſtenſurum, confido.

H. G.

PRo hoc & labore meo & comitate nihil minus ſperabam quam maligna judicia, quale extitit obtrectatoris, hominis ita Geographi, ut in Hiſpania Gades & Calis duas nobis inſulas fecerit.

I. D. L.

QVantum laboris ſumſeris in tam brevi opuſculo, non quæro; & comitatem laudo, quam optarem te etiam in gravioribus controverſiis ſervaſſe: Sed cur me obtrectatorem & judicium meum de cogitatis tuis malignum voces, id jure poſtulo; nam nullam cauſam attuliſti: itaque convitium autumo, qualia tu ubi ſe flava aut atra tua bilis commovit in alios ſoles effundere, etiam tibi non impares, atque adeo te meliores; ita ut hoc mihi, qui me longe inferiorem agnoſco, accidiſſe, nemo mirari debeat, aut ego ægre ferre: confido enim, eos qui æquo animo Scripta utriuſque noſtrum legerint longe aliter judicaturos. Numquam ambivi famam Geographi, & ſiquid Geographici meis ſcriptis attexui, id per occaſionem feci: libros autem meos de America eo conſilio ſcripſi & primum noſtrate

ſtrate lingua edidi, ut noſtros docerem quid in illis partibus validum aut debile & noſtrorum armis opportunum eſſet. Quod autem hic mihi objicis Geographiæ ignorantiam, quaſi in Hiſpania Gades & Cadiz duas inſulas fecerim, ea manifeſta calumnia eſt: Opuſculo de Regno Hiſpaniæ cum loca quædam Hiſpaniæ geographice primum deſcribere ſuſcepiſſem, annotavi quæ diverſi authores de quibuſdam locis ſcripſerant: atque ita de Cadiz primum notavi quod ſcripſerat *Boterus*; dein quod *Nonius*: non quod duas inſulas opinarer; ſcivi enim jam à quadraginta annis & ſupra, Gades & Cadiz unam eſſe inſulam; ſed ut lectores compendio ſcirent quid duo illi de ipſa ſcripſerant. Vtrum autem hoc non ſit obtrectari, & maligne de meo labore judicare, aliis æſtimandum relinquo.

H. G.

ET in libris quos de America edidit, idem ille Emanuel Moraes, *cujus ipſe nobis particulam huic ſuo operi adtexuit; tot repererit errores quot ſunt paginæ, ſed eos vulgo palam facere ſit vetitus, ne quid deperiret auctoritati aut preſbyteri, aut exercitoris.*

I. D. L.

QVis tibi hoc perſuaſerit neſcio, ſed falſũ eſſe facile probabo. *Emanuel Moraes,*

quum è Brasilia, in qua à puero vixerat, ad nos venisset, & cognovissem illum inprimis gnarum esse illarum provinciarum in quibus multis annis erat versatus, donavi illi statim libros illos meos de America, & rogavi ut si quid in illis animadverteret in quo ab authoribus, quos secutus eram, fuissem deceptus, id mihi candide indicaret, emendaturo in secunda editione cum honorifica illius mentione. Fecit quod rogaveram. & in libro qui de Brasilia agit (nam cæterarum Americæ provinciarum & regionum ignarus est) notavit quædam: quorum longe maxima pars versatur in orthographia vocabulorum Brasiliensium, & descriptione unius aut alterius animalis, aut plantæ. Habeo ipsius autographum, è quo demonstrare possum me verum dicere; & emendationes jam paratas ad Appendicem quam paro: in qua & alia quoque indicabo quæ ab aliis melius sum edoctus; semper enim desidero plenius discere, & aliis tradere. Verum hoc adhuc magis in veritatem peccat, quod dicis illum vetitum palam facere: à quo tandem, aut quas ob causas? non sane à me, neque à quoquam alio, quod quidem sciam: Contra memini me Elzeviriis nostris persuasisse ut ederent ipsius Historiam; & jam edidissent, si fuisset absoluta, verum illam
secum

ſecum tulit in Braſiliam, ut perficeret. Non erat ulla cauſa cur ego vetarem aut curarem ut vetaretur; nam etiamſi decuplo plures errores in illis libris deprehendiſſet, nihil mihi ex eo aut ignominiæ aut incommodi poterat accedere, qui authores quos habeo ubique nominavi. Sed nec metuere poteram ne ille in me injurius aut inmodeſtus eſſet, ſiquidem multis beneficiis mihi erat obnoxius. Interea non ignoro in illis libris adhuc multos eſſe errores, non quidem meos, ſed aliorum qui perperam tradiderunt, quorum multos jam correxi: & adhuc quotidie corrigo; non enim deſino quotcunque poſſum aut ex illis partibus venientes, aut aliâs earum gnaros, rogare, examinare de iis quæ mihi adhuc non videntur ſatis explorata. Laudabile enim exiſtimo in veritate proficere, & ſi alicubi erratum, agnoſcere & emendare; quod ſi tu quoque crediſſes, non tot errores nuper tam pertinaciter defendendo authoritati tuæ obfuiſſes.

H. G.

HAbet hunc morem obtrectator, ut quæcunque ipſe aut non legit, aut credere non vult, ea falſa dicat.

 I.D.L.

I. D, L.

AN ergo tu, quæcunque aut non legisti ipse, aut credere non vis, ea vera dicis? valde credulum te esse oporteret, neque umquam te talem præstitisti: sed contra quæ apud sacros authores legeras & credere debueras, non raro falsa es opinatus, cum luminibus tuis officiebant. Neutrum in me cadere, ubi ad exempla venies, apparebit. Interea non puto in rebus humanis illaudabile, & in iis quæ legimus, & quæ diverse à diversis proponuntur, judicium suspendere, & de iis cum ratione judicare. Nec video cur mihi id minus liceat quam tibi: & arrogantis fuerit, sibi hoc soli vindicare. Quod tu hic facis, in me reprehendens, quod ipse usurpas: & me propterea obtrectatorem vocans.

H. G.

FAlsum ei est, Columbum cognitionem insulæ S. Dominici accepisse à mercatore in Canariis & Azoribus versari solito, idque cum eum morti propinquum in Tercera Columbus reperißet.

I. D. L.

PRimo hoc non est ex iis; quæ aut ipse non legeram, aut credere non volebam. nam & testatus sum apud quos legeram, & rationes attuli propter quas illud credere non poteram. & alios illud non credidisse osten-

ostendi. Perperam autem hic & ignoranter *Maderam* cùm *Tercera* confundis. Neque Mariana, si hoc plene credidisset, dicturus fuisset, *quæ si vera sunt*. Neque ego primus illam historiam falsi accusavi, sed post alios Hispanos atque Italos, uti in Notis meis ostendi. Nemo autem melius hanc fabulam refutavit quam ille, cujus testimonio aliquoties uteris, *Benzo*.

H. G.

Nomen ei mercatori fuit Zanchius de Huelva, testantibus multis, etiam Garcila Vega, qui ex regum Incharum sanguine ortum se dicit, & cujus auctoritate passim obtrectator hic utitur.

I. D. L.

QVid nominis huic mercatori (Mariana Navarchum vocat) fuerit, parū interest: nomen aliquod illi dari oportuit, quod tamen alii reticuerunt. Garcilas autem ille omnium minime idoneus testis est in hac causa, quam alienigena non potuit nisi ab aliis accipere: quod autem interdum illius authoritate utar, id jure feci in iis quæ ipse optime scire poterat; neque propterea existimo, ipsi in aliis rebus quas ab aliis accepit, parem fidem esse adhibendam.

H. G.

ET cæteræ Columbi conjecturæ tenuiores erant quam ut eis fisus tam pertinaciter spei suæ insisteret.

 I. D. L.

I. D. L.

QVid? num rationes mathematicæ tibi conjecturæ videntur? & an non rotunditas orbis terrarum ſatis indicat ultra tendentibus tandem terram aliquam occurſuram? neque attendiſti quid Columbus quæſierit? Legenda fuerant quæ Herrera ſcribit dec. 1. lib. 1. Cæterum quod Columbus credidit, etiam Straboni perſuaſum fuit, qui lib. 1. ſcribit: niſi Atlantici maris obſtaret magnitudo, poſſe nos navigare per eundem parallelum ex Hiſpania in Indiam.

H. G.

FAlſum illi, quod Plinius Indos dicit vi tempeſtatum in Suevorum littora delatos: cum tamen par caſus narretur ab Hiſtoricis in temporibus Barbaroſſæ: nec id ſane mirum videri debeat, ſi per Indos intelligantur Sinenſes, & ſi continuum ſit circa Tartariam mare.

I. D. L.

SVpra in me reprehendiſti, quod cum aliquid credere nolo, id falſum dicam: at tu quidvis quod tibi allubeſcit aut cauſæ tuæ ſtruit, nimis facile verum credis. Ego rationes attuli cur id minus credibile judicarem, non abſolute falſum dixi. Rationes autem tuæ ob quas id minus mirum videri putas, admodum tenues ſunt, nec poſſunt iis ſatiſfacere, qui mare illud quod continuum circum

eum Tartariam vocas, noverunt: quod maximam anni partem glacie constrictum est. Licet autem concederetur, per Indos Sinenses posse intelligi, quod tamen abhorret à phrasi ævi Pliniani, quod non noverat alios Indos quam ad Indum fluvium aut non longe ab illo dissitos; valde credulum esse necesse foret, cui non mirum videretur, Sinenses superato promontorio Tabin, glaciale illud mare permensos, & per angustias inter novam Zemblam & Asiæ continentem eluctatos, aut etiam supra illam insulam evectos, tandem in Suevorum littora fuisse ejectos: Et velim mihi explices, quot, non dico dierum, sed mensium, tempestas hæc fuerit: & quomodo potuerint usque ad Suevorum littora impelli, & tot insulas tot terras prætervehi. Vbi me ex hisce difficultatibus eduxeris, forte sententiam mutabo. Acosta ipse non plane credidit veram esse historiam, uti è dictis ipsius satis manifestum est. Non puto interea magnum crimen esse fidem suspendere in rebus quæ tam parum probabiles sunt.

H. G.

F*Alsum illi, circumcisos fuisse Iucatanenses, quod præter Martyrem Anglerium testantur Godingius & Relationes editæ Antverpiæ anno* CIↃ IↃ LVIII. *quæ addunt* Tolonas, *Acuza-*

mitenses, & alios circa Mexicam. Addidit Herrera Guazacualcenses. Mirum vero quam ipse res adferat probabiles, qui à lue venerea arrosa vult illis præputia, quasi ita judaica esset illa lues, ut præputium perdere contenta, vicinis partibus parceret.

I. D. L.

NOn absolute dixi hoc falsum esse, sed potuisse falsum esse, & Hispanos in eo deceptos: dein ipsorum authorum testimonia citavi, Martyris Anglerii, atque Gomaræ neque ignorabam, plures esse qui hoc dicerent, prout ab aliis acceperant: & omnes illos populos nominavi de quibus hoc dicitur: quæ nomina in Relationibus illis quas citas, corruptissima sunt; Acuzamitenses enim dicunt pro insulanis Cuzumel sive Cozumel, aut etiam Acuzamil, ut vocat Gomara. Quod autem hic addis de Guazacualcensibus, etiam monui in libris meis de America. In illa autem Annotatione mea ad tuam Dissertationem, cum omnia excussissem, tandem conclusi: *Hæc mea conjectura est; credant qui volent: saltem minime verisimile est; origine Hebræos fuisse.* Ex quo satis patet, me non dixisse absolute, falsum esse, quod authores illi de circumcisione quorundam Iucatanensium & aliorum scripserant: sed mihi non admodum probabile videri. Quod

vero

vero conjecturam meam de lue venerea falſe rides, non ſatis cogitas luem illam tum nondum Hiſpaniam aut Italiam vidiſſe, ubi vires ſumſiſſe creditur. Poſſent & aliæ cauſæ adferri cur Barbari præputium ſibi præciderint, ſi modo hoc factum. (nam Herrera quum ex inſtituto mores & ritus Iucatanenſium deſcribit, poſtquam jam plenius cognoſci cæperant, circumciſionis non meminit.) ſed res non eſt tanti ut de ea acrius ſit contendendum. Obſervant enim Authores Hiſpani, Diabolum inter illas gentes, ad ſimilitudinem cultus quem Deus Iudæis tradiderat, multa inſtituiſſe; quæ hic referre longum eſſet: ut non propterea neceſſe, ſit tantopere laborare ad illos à Iudęis aut Chriſtianis judaizantibus accerſendum.

H. G.

FAlſum illi omne id quod viri nobiliſſimi Zenones Veneti & voce & ſcriptis ad poſteros ſuos prodidere. at cur tandem? quia ita libet.

I. D. L.

NOn dixi, mihi falſum videri omne id quod Zenones illi prodiderunt, ſed illud de Eſtotilandia & Regis bibliotheca & quædam alia quæ de piſcatoribus produnt. Quanquam ſi dixiſſem pene omnia, non exiſtimarem me quicquam præter veritatem dixiſſe. Neque credo te omnibus illis

fidem

fidem habere. Rationes porro retuli aliquot, & inprimis præſentem terrarum illarum faciem, jam omnibus ſatis notam. Itaque tu hic obtrectatoris partibus fungeris, quum dicis me id feciſſe tantum quia ita libet. Si tu omnia iſta credis, explica nobis quæſo, quæ ſit illa inſula Porlanda Friſlandiæ ad meridiem vicina, admodum opulenta & populoſa: ubi ſit Staneſol, (nam hæc non ſunt adeo à memoria hominum remota:) Bodendon, Griſlanda magna inſula inhabitata: quæ ſint ſeptèm illæ inſulæ circa Iſlandiam, Talas, Broas, Iſcant, Trans, Mimant, Damber & Bres: (de Gronlandia in ſuperiore opuſculo diximus, & oſtendimus ex authoribus probatis, nullum umquam monaſterium monachorum ibidem fuiſſe:) quæ ſint inſulæ illæ opulentiſſimæ & populoſiſſimæ à Friſlandia verſus occidentem. An credendum putes in Eſtotilandia fuiſſe civitatem belliſſimam & populoſiſſimam cujus Rex in bibliotheca ſua habuerit libros latinos & ſimilia. Si hæc omnia fide digna exiſtimas, permitte ſaltem mihi, cui facies illarum terrarum ex relatione Anglorum & aliorum ſatis nota eſt, judicio meo uti.

H. G.

H. G.

OMnia quæ contra me scripsit in hoc argumento, non veritatis scripsit studio, sed obtrectandi.

I. D. L.

Absit hoc à me: imo veritatis indagandæ studio scripsi, & ut te ad diligentiorem indaginem excitarem; neque debueram propterea tam malignum judicium aut tot convitia à te pati. Interea satis prodis, te non eo animo cogitata tua proposuisse, quo videri vis; & te alios invitasse, ut occasionem nanciscereris iis pro tuo more insultandi.

H. G.

MAgis credo ei se probat, quem suo Operi addidit Lescarbotus, qui probabile putat, Noachum in America natum iter ad veterem patriam indicasse posteris.

I. D. L.

NE sævi quæso tantopere: non potes ignorare me hoc commentũ Lescarboti damnasse: non tamen propterea debebam abhorrere ab aliis quæ ille bene observaverat.

H. G.

DIcam ego quod verum est, me non libros tantum legisse multos quos & obtrectator, sed & scriptis commentariis usum: quædam etiam me credi-

credidisse testibus, qui in illis locis vixerant.

I. D. L.

Credo, & laudo; idem & ego feci & facio; confidoq; me plures scriptos commentarios legisse & adhuc habere: cum pluribus quoque contulisse qui in illis partibus vixerant, tam Hispanis, quam nostratibus, etiam Gallis atque Anglis. Sed multum interest quo pacto quis omnibus illis utatur. nam primo judicio opus est, & non facile, nisi plures unum & eodem modo tradant, assensus adhibendus, & aliquandiu judicium suspendendum: & asserentium aut negantium rationes, etiam mores, inspiciendi. Deinde hoc quoque observandum, ne quis temere hanc aut illam sententiam amplectatur, & indecorum putet illam mutare, ut te fecisse video, qui etiam dissentientes & naso suspendis, & odisti, & illis male dicis; nam ita veritas inveniri non potest; tales enim quod volunt credunt, & quęrunt quo modo persuadeant aliis quod temere crediderunt, & contradicentes contemnunt adeo, ut ne rationes quidem eorum examinare sustineant. Hoc autem tibi familiarissimum esse, nuper ostendisti. nam cum tibi pulchrum illud commentum de Caio Antichristo & Simone mago homine peccati tantopere allubuisset, quas non turbas dedisti,

disti, aut quibus convitiis in contradicentes pepercisti? non ita, mihi crede, oportuit. Perpende quęso quid magnus Basilius dicat Homil. 2. in Hexameron. ἀλλ' οἱ παραχαράκται τῆς ἀληθείας, &c. & videbis quam rationem sequaris. In controversia de qua nunc agimus minus periculi est, sed idem lapsus, quum veritas non quæritur ipsa, verum tantummodo conjecturæ patrocinium.

H. G.

Attamen quia hæc, posterius quæ dixi, mihi fidem facere possunt, non aliis forte, præsertim, ut nunc sunt tempora, pertinacibus, ex solis libris editis satis me habere confido, unde adstruam, non quidem certa esse & explorata quæ dixi, (neque enim venditavi ut talia) sed probabiliora iis quæ contradictores hactenus attulere.

I. D. L.

Sane ista expeditior est via: quanquā non repudiandum existimem, si quis aliquid ex scriptis commentariis aut relatione fide dignorum adferat, nam ex ejusmodi commentariis & relationibus libri editi originem habent: modo quis candide & fideliter referat verba eorum & rationes, & authores nominet. Sed tu etiam in citandis libris pessimo more, si verum licet dicere, uteris, nam neque verba, neque loca indicas ubi inveniantur. Citans authores qui multa & prolixa

prolixa volumina ediderunt, nominare illos contentus, neque librum neque caput designas, quo fit ut aliis qui verba authoris inspicere vellēt, magnum inducas laborem inquirendi, aut illius tædio assensum extorqueas: ita citas Herreram, Gomaram, alios. Cæterum bene habet quod fateris te non dixisse *certa & explorata*; non debueras ergo tam ægre ferre, quod notas ad illa feceram. Verum addis, *sed probabiliora iis, quæ contradictores hactenus attulere*: Abunda in tuo sensu, per me licet, sed ne sævi in eos qui illud non possunt credere. Placeat tibi tuum commentum, sed patere alios de illo judicare: neque statim pertinaciæ condemna eos qui plenius rationibus se persuaderi postulant antequam assentiantur; nam si te hic aut alibi pro dictatore audiri flagites, frustra fueris. Sed rem ipsam porro videamus.

H. G.

Bipertita est mea disceptatio: de gentibus eis Isthmum Panamensem: de gentibus ultra eum Isthmum. In utraque parte dixi primum, quid in universum censerem, illos à Norwagia ortos, hos ab austrinis terris, quæ ultra fretum sunt Magellanicum. Sed exceptionem addidi in parte nobis propiore de Iucatanensibus & quibusdam eorum vicinis: in parte remotiore de Peruanis. De his omnibus nihil dum video cur meas conjecturas cum alio-

rum

ram sensibus commutare debeam. Groenlandiam ait esse partem continentis Americanæ. Libenter ei in eo assentior. Neque enim ei similis esse volo, ut eam in omnia contraria.

I. D. L.

NEque ego in omnia contraria ivi, sed quædam tua probavi, quæ recte se habebant: & jam ipse fateris me quædam veritatis studio scripsisse: siquidem vera esse agnoscis.

H. G.

GRoenlandiam à Norwagis habitatam, inter ipsum & me & omnes constat. Habemus ergo jam partem Americæ à Norwagis, ut ego dixeram habitatam.

I. D. L.

SI hoc tantum dixisses, nemo id jure refutasset: & hactenus inter nos convenit; nam neque ego contendi, nullam partem à Norwagis aut aliis Europæis habitatam: quinimo etiam alios ex Europa in Americam migrasse potuisse ostendi: siquidem à multis partibus mari ad Americam perveniri potuisse asserui; & nullam viam negligendam ad incolas in Americam inducendos ab illis terris, in quibus post diluvium genus humanum propagatum credimus.

H. G.

QVid illos Groenlandiæ insessores impediit ire longius, & per lata terrarum spatia genus suum propagare? notemus vero, nullum vestigium famæ in vetere orbe repertum, quod ad mille annos pertingeret. Islandia quantum ex Annalibus cognoscitur per hominem Suedum detecta anno Christi IↃCCCLXIV. *habitata ab Ingulfo Norwago anno* IↃCCCXCIV. *Circa idem tempus Groenlandia pernosci cæpta, teste bono Dithmaro Blefkemo.*

I. D. L.

CVr hic authoritatem hujus Dithmari præfers authoritati Angrimi Ionæ, qui Islandus natione melius ista scire potuit, & qui istum in plurimis falsum fuisse ostendit? hic enim tradit, Groenlandiam primum aditam anno IↃCCCCLXXXIV. Quod autem hic fateris, nullum vestigium famæ in vetere orbe repertum quod ad mille annos pertingeret: (imo ne ad octingentos quidem, si rationem subduxeris:) id me vel potissimum movit ut non crederem, partem septentrionalem Americæ, maximam partem suorum incolarum è Norwagia accepisse. Nam si Gomaræ & Herreræ credimus, Chichimecæ ad lacum Mexicanum venerunt anno IↃCCXXI. ita enim scribit Gomara parte secunda cap. *de los Reyes de Mexico:*

xico: Quenta ſu hiſtoria que vinireon a eſta ,,
tierra los Chichimecas el anno ſegun nue- ,,
ſtra cuenta de ſetecientos y viente y uno ,,
deſpues que Chriſto nacio. id eſt; *narrat ipſorum hiſtoria, Chichimecas ad iſtam terram* (agit de Mexicana) *veniſſe anno ſecundum noſtrum computum ſeptingenteſimo uno & vigeſimo à Chriſto nato.* Oportet itaque illos aliunde veniſſe quam è Norwagia, ſiquidem Norwagi primum anno IↃCCCXCIV, etiam ſecundum tuum calculum, in Iſlandiam migrarunt. Quod te animadvertere oportuiſſet; & monueram in Notis meis. ſed non vis quicquam doceri quod cogitatis tuis non faveat.

H. G.

UTrique lingua vetus Norwagica: Saxonica per commercia in oram poſtea irrepſit. Chriſtianiſmi nulla tunc ibi notitia. Chriſtianiſmum pariter accepere & Iſlandia & Groenlandia anno Chriſti CIↃCCCXCVIII, *cum exigua ante jacta eſſent ſemina. Et propterea mores quos Angrimus narrat, nihil ad nos pertinent: ii poſteriores ſunt accepto in Iſlandia & Groenlandia Chriſtianiſmo.*

I. D. L.

QVibus authoribus aſſeras, Iſlandos & Groenlandos primum anno CIↃCCCXCVIII. Chriſtianiſmum accepiſſe, dicen-

dum fuerat; Angrimus Islandus contrarium scribit, nimirum id anno CIↃ factum, & ille optime scire potuit. atque etiam planius explicandum fuerat quid per *exigua* illa *semina* intelligeres, cum hic & episcopos Groenlandiæ numeret ab anno CIↃCXXI. sed hoc commentum propterea tibi placuit, ut annos illos quingentos lucrareris, & evitares argumentum à moribus Islandorum.

H. G.

INter illos annos prope quingentos, vide quantum auctus accipere potuerit gens inprimis fæcunda. Neque enim frustra Iornandes Gothus Scandziam in qua est & Suedia & Norwagia vocarit gentium officinam. Iaponensis terra à IↃC *annis habitari cæpit. vide quanta ibi fuerit hominum multitudo, in cælo minus genitali, jam Marci Pauli Veneti temporibus, id est, intra annos à sui origine trecentos. Non longe abit ab iis quæ diximus, quod Herrera dixit, auctores gentis Mexicanæ mare transiisse circa annum Christi* IↃCCCXX. *Intrasse terram quæ postea Mexicana dicta anno Christi* IↃCCCCII.

I. D. L.

NOn dubium est, gentes fæcundas & in fæcundo cælo magnum auctum posse capere intra trecentos annos. Sed illos annos prope quingentos ut tu loqueris primũ demon-

demonstrare debueras à Norwagis in Gronlandia actos, antequam Christianismum susciperent, ut ita dissimilitudinem morum probares. Verum ut hoc de moribus jam mittamus: Rationes tuæ potius destruunt id quod probandum susceperas, nimirum omnes ferme populos qui cis Isthmum sunt Panamensem, ex Norwagia ortos, & tantum excipi Iucatanenses & paucos alios illis vicinos. Nam si Norwagi primum migrarunt in Gronlandiam anno IↃCCCC, aut ut aliis placet CIↃ, quomodo potuerunt anno IↃCCCXX transiisse mare, & jam anno IↃCCCCII tantum auctus cepisse ut Mexicanam implerent? Hæc absurda esse quivis videt, & mirum est te hoc non animadvertisse. De temporis ratione nobis hic adhuc quæstio est, non de moribus. Quod autem scribis, Herreram dixisse auctores gentis Mexicanæ mare transiisse circa annum Christi IↃCCCXX, id paulo accuratius examinandum. Locus, quem credo te respicere, ita se habet Dec. III. lib. II. cap. X.

„ Los antiguos moradores de aquellas „ partes eran silvestres, que se mantenian „ con las frutas, y raizes campesinas y caças, „ en que eran muy diestros y no vivian en „ vezindad, y por esto se llamavan Chichimecas: habitavan en las sierras, y montes,

 dormian

,, dormian en tierra, y andavan desnudos: y
,, ningun genero de policia tenian: las mu-
,, geres seguian à los maridos, y dexavan las
,, criaturas colgadas en cestas de las ramas de
,, los arboles, hartas de leche hasta que bol-
,, vian de la caça. No conocian dios, ni tenian
,, religion, ni superior; y hasta oy dura en neu-
,, va Espanna esta gente, que ha sido harto
,, prejudicial, la qual no se pudo sojuzgar
,, por no tener ciertas habitaciones, que fue-
,, ra harto necessario para que los ensenna-
,, ran a ser hombres y Christianos. Estos pri-
,, meros moradores de neuva Espanna como
,, no sembravan, ni cogian, dexaron à otros
,, forasteros la meior parte que occuparon;
,, que era gente mas politica los quales fue-
,, ron de otra tierra apartada de hazia el Nor-
,, te, adonde se ha descubierto la neuva Me-
xico. Dicit, antiquos incolas novæ Hispaniæ fuisse homines silvestres sine ulla religione & politico regimine, separatim degentes & solis fructibus arboreis & radicibus campestribus & venatione vitam tolerasse, in montibus & collibus habitasse, & meliores terras advenis reliquisse. Agit deinceps de auctoribus gentis Mexicanæ, quos dicit gentem magis politicam fuisse; & venisse ex illis regionibus in quibus hodie nova Mexica censetur. Quum autem dicat, no-
vam

vam Hiſpaniam ante occupatam fuiſſe à Chichimecis, quos Gomara, ut ante dixi, ſcribit ad lacum Mexicanum veniſſe anno IↃCCXXI; ex eo ſatis liquet, ſilveſtres illos homines non fuiſſe ejuſdem originis, aut à Norwagis potuiſſe deſcendere. pergit Herrera.

Y eſta gente (nimirum quæ poſtea venit) „ pintava ſu decendencia en figura de cueva, „ y dezian que de ſiete cuevas avian ſalido a „ poblar la tierra de Mexico: y haziendo „ mention dello en ſus libros, pintavan ſiete „ linages, y dezian que para llegar al lugar „ de las ſiete cuevas, atraveſſaron un braço „ de mar en troncos de arboles, que devian „ de ſer canoas mal labradas, y ſegun ſu cu- „ enta parecia que avia ochocientos annos „ que ſalieron de Navatlacan, que reduzido „ à la nueſtra fue el anno de ochocientos y „ viente, y tardaron ochenta annos en llegar „ à la tierra de Mexico, porque les perſua- „ dian ſus dioſes, o demonios, porque ha- „ blavan viſiblemente con ellos, que buſcaſ- „ ſen las tierras conformes à las ſennas que „ los davan: y deſta manera yuan inquirien- „ do, y poblando, y dexando alguna gente „ paſſando adelante, y haſta aora ſe hallan „ raſtros del camino que traxeron, con gran- „ des edificios derribados, y por eſta cauſa „

,, tardaron tantos annos en viage que ſe pue-
,, de andar en un mes : y entraron en la tierra
,, de Mexico el anno de nueſtra ſaluacion de
,, novecientos y dos. id eſt: *Et iſta gens* (nimirum politica illa quæ poſt Chichimecas illos ſylveſtres venit in novam Hiſpaniam) *pingebat deſcendentiam ſuam figura ſpelunca, & dicebat, ſe ſaliiſſe è ſeptem ſpeluncis ad incolendum terram Mexicanam; & facientes ejus rei mentionem in ſuis libris pingebant ſeptem generationes, & dicebant, ſe, ut venirent ad locum ſeptem ſpeluncarum, trajeciſſe brachium maris truncis arborum, quæ oportuit eſſe canoas negligenter factas, & ſecundum ipſorum calculum apparebat eſſe octingentos annos à quo exierint è Navatlacan, qui reducti ad noſtrum calculum fuit annus octingenteſimus & vigeſimus, & tardarunt octuaginta annos antequam adirent Mexicam, quia ipſis perſuadebant eorum dii aut dæmones (nam viſibiliter cum illis loquebantur) ut quærerent terras conformes ſignis quæ dabant : & ad iſtum modum procedebant, quærentes, & colentes, & relinquentes aliquot ſuorum, atque ita ultra tendentes; & ad hodiernum diem viſuntur veſtigia itineris, & magnorum ædificiorum ruinæ: atque propterea tot annos fuerũt in itinere, quod menſtruo abſolvi tempore potuerat; & intrarunt terram Mexicanam anno noſtræ ſalutis* ıɔccccıı. Atque hic obſervandum, primo Herreram non dicere, *illos tranſ-*

transiisse, mare, sed brachium maris, id est, sinum aliquem aut fretum quod in continentem incurrit, ita ut hoc nullo modo possit accipi de mari Germanico quod Islandiam & Gronlandiam à Norwagia dividit; quis enim credat illud truncis arborum aut lembis unilígneis trajicere ausos? Deinde illum non dicere illos anno ɪↄccccxx maris illud brachium transiisse, ut tu asseris, sed tum se movisse ex Navatlacan, ita ut male hic sententiam Herreræ intellexeris. Licet ne hoc quidem te possit juvare. Nam ipse eodem capite, postquam plura de harum gentium adventu ad Mexicam dixit, concludit: De » que se infiere que los primeros pobladores » de las Indias occidẽtales, fueron por tierra, » & que todas aquellas provincias estan con- » tinuadas con Assia, Europa y Africa, y el » neuvo mundo con el vejo: aunque hasta » ayorar no esta descubierta la tierra que los » junta: y si ay mar en medio, es tam poco » que le pueden passar à nado las fieras, y los » hombres en chicos barcos. Id est; *è quibus in-* » *fertur, primos illos habitatores Indiarum occidentalium terra venisse, & omnes illas provincias esse continuas cum Asia, Europa & Africa, & novum mundum cum vetere: licet hactenus non sit detecta terra quæ illas jungat: aut si mare interluit, tam exiguum esse, ut feræ transnare possint & homines*

exiguis lembis trajicere. Quæ autem hic narrantur ab Herrera, eadem pene habes apud Gomaram : nisi quod rationes temporum nonnihil varient;& quod addat, Chichimecas illos venisse ab *Aculhuacan*, quæ est ultra *Xalisco*, circa annum ɪↄccxx. Situm provinciæ *Culhuacan* descripsi in America. est autem ad sinum sive fretum Californiæ, ut maxime verisimile sit, Herreram per brachium maris hunc sinum intellexisse, sequitur enim ad eandem plagam nova Mexica. Quid multa? hæc ad Gronlandiam referri neutiquam possunt, quæ longissime inde abest : neque unius mensis spacio ab illa ad Mexicanam potuissent pervenire : neque tempus, quo Norwagi in Gronlandiam descenderunt, congruit cum eo quod hic designatur; quod te animadvertere oportuit. Eadem quoque habentur apud Acostam lib. 7.cap.2. qui Chichimecis jungit Otomies, aliam gentem Novæ Hispaniæ, moribus & lingua à Mexicanis diversam, neque ita cultam; quæ hodieque reperitur in Nova Hispania. Concludit quoque eodem modo, ut mihi verisimile fiat, Herreram totum illum locum ab Acosta sumsisse, & tantum verba quædam mutasse.

H. G.

H. G.

POstea novem populos distinctis temporibus venisse è septentrione, id est, à partibus Americæ primum habitatis, unde & illi Mexicanorum majores venerant.

I. D. L.

DVos hic errores committis: primũ quod novem populos facias, quum tantum septem fuisse tres isti authores dicant: secundum, quod illos distinguis & alios facis à majoribus Mexicanorum: quum tantum alii fuerint à Chichimecis & Otomiis, prioribus nimirum illarum terrarum incolis. Atque ita confundis quę illi bene distinxerant, ut conjecturis tuis fidem faceres. Observare autem debueras, Herreram & alios agere de incolis non tantum Mexicanæ, sed totius novæ Hispaniæ, quæ plures provincias complectitur: septem autem illas nationes omnes aut ad lacum Mexicanum aut haud longe ab illo sibi sedes elegisse, & propterea recte dici posse majores Mexicanorum, cum non tantum de civitate, sed de toto imperio sermo est. Alioquin si bene attendas ad ea quæ Herrera & alii scribunt, præter Chichimecas, etiam aliæ nationes jam ad provincias illas venerant, antequam migratio septem illarum nationum contingeret; memorãt enim, Otomies, & montana incolentes

tes Totonnaques; quibus & alii plures addi possunt ad meridiem & orientem à Mexicana incolentes, sed hoc non attendisti, quia conjecturis tuis de Norwagis non favebat.

H. G.

Horum in numero fuisse illos qui Mexicano regno nomen dedere sexcentis ante Hispanorum adventum annis. Ducentis ante id tempus annis advenisse ab eodem septentrione Navillacas, ait Acosta, venatui assuetos hos non minus quam priores illos.

I. D. L.

ITa est, septima illarum nationum fuit Mexicana, quæ & postrema ad lacum venit. Hispani primum adierunt Mexicam anno cIↃ IↃ XX, aut paulo ante. venerint ergo ad lacum Mexicani anno IↃ CCCCXX. quo nondum Norwagi in Groenlandia tantum auctus fecisse poterant, multo minus tantum terrarum spatium permeasse: & notandum quod supra dixit Herrera, locum illum unde nationes illæ septē egressi sunt, haud longius à Lacu abesse, quam ut uno mense ab expeditis iter illud absolvi potuerit. Addis; Ducentis ante id tempus annis, id est, anno IↃ CCXX, advenisse ab eodem septentrione Navillacas, ait Acosta, venatui assuetos hos non minus quam priores illos. Qui sunt priores illi? nam primos vis mare trans-

transiisse anno ıɔcccxx, id est, centum annis ante quã Navillacæ ad lacum venerant. Nisi aliud & gravius convitium metuerem, dicerem, hic te dormitasse. Qui autem sunt illi Navillacæ? Acosta septem illas nationes eodem nomine insignit. Navatlacas enim dicit de terra sua exire cæpisse anno ıɔcccxx. deinde ordine exponit quæ illarum & quo tempore ad Lacum venerint. Non est autem quod hic captes ex eo quod dicit Navatlacas à septentrione venisse: nam ipse se explicat, inde venisse ubi hodie repertum fuit regnum quod vocatur Nova Mexica. Constat porro ex narratione Acostæ lib. 7. cap. 3, in illis provinciis Novæ Hispaniæ ante annum ıɔccccıı (utor tuo calculo, ne quid tergiverseris) non tantum fuisse Chichimecas, sed & alios populos. Scribit enim, Chichimecas illos non impedivisse novos advenas: sed indigenas qui habitabant ultra montes nivosos, quos Tlascatecæ transcenderant, haud ita æquo animo passos terras suas ab advenis occupari: & dicit illos fuisse gigantes. Vellem autem locum designasses, & Acostæ verba produxisses; quibus dicit illos venatui assuetos non minus fuisse quam priores illos: qui priores illi non possunt esse alii quam Chichimecæ: quum contra Acosta scribat, Navatlacas illos ma-

gis

gis politos & induſtrios fuiſſe, & ſementem facere ſuetos. Confuſiſſima ſunt quæ hic dixiſti.

H. G.

Nec ſpernendum quod Herrera dicit, eos qui in terra Bacalaos habitant, colore, cultu, veſtitu, ſedibus congruere cum Lapponibus Norwagiæ vicinis.

I. D. L.

NEquaquam ſpernendum: ſed ubi hoc dixerit *Herrera*, adhuc quæro: interea fateor non eſſe negandum, neque umquam negavi, ex Europa etiam incolas Americam accepiſſe: ſed Bacalais quid commune eſt cum incolis novæ Hiſpaniæ? præterquam quod in eadem continente degant. aut ſi concedatur Lappones in terram Bacalaos veniſſe, num propterea ſequetur, omnes ſeptentrionalis Americæ incolas aut maximam partem à Norwagis eſſe ortos? Quam alieno loco hoc *nec ſpernendum* inſeratur, æquus lector judicet, ſed caveat ne in obtrectatorum numerum referatur.

H. G.

POſtremos à ſeptentrione illo veniſſe Tapenecas, ait Herrera, anno ante Hiſpanos trecenteſimo trigeſimo & ſecundo.

I. D. L.

ERras porro, neque cepisti mentem Herreræ; nisi forte ita festinasti hæc effundere, ut non attenderis quid ille dicat. Recenset quo ordine septem illæ nationes se è patriis sedibus moverint. nimirum primo Suchilmici: secundo Chalcæ: tertio Tepeacæ, quarto Culvæ, quinto Tatleucæ. Observandum autem, quatuor illas priores ad Lacum sedes cepisse; quintam illam in Quahuanac, ubi nunc est Marchionatus qui dicitur Vallis: sexto Tlascaltecas, qui transierunt montes nivosos. Et postquam de his sex nationibus egit, & interjecit antiquam cantilenam qua liberos suos animabant ad parcimoniam, quia majores ipsorum multo labore vitam sustentaverant, subjicit denique: y aviendo passado 302 annos que los „ seys linages referidos salieron de su tierra y „ poblaron à neuva Espanna, estando ya „ muy acrecentados, llegaron à ella los del „ septimo linage, que es la nacion Mexicana „ gente politica y bellicosa &c. id est: *quum jam anni* CCCII *præterierant postquam dictæ sex nationes (id est, Suchilmici, Chalcæ, Tepeacæ, Culvæ, Tatleucæ, & Tlascaltecæ) è patria sua exierant & novam Hispaniam incoluerant, atque jam multum auctus fecerant, venerunt ad illam septimæ nationis homines, quæ est natio Mexicana,*

na,

na, *politica & bellicosa* &c. Nihil ille de Tapanecis; sed Acosta de itinere septem illarum nationum agens, tertio loco ponit Tapenecas, & interpretatur populum pontis. Cur autem hos è medio excerpseris, nescio. Herrera ipse explicite loquitur, & significat Mexicanos postremos è sedibus suis movisse, non quidem 302 annis post sextam nationem, sed postquam sex illæ nationes, quæ erant ejusdem cultus, se sedibus primis movere cæperant & ad Lacum accesserant; erant enim omnes advenæ. itaque initium illorum trecentorum & duorum annorum capiendum est ab anno IↃCXVIII, si Herrera bene rationes subduxit; venerunt enim sex illæ nationes ad Lacum ante Mexicanos, sed quo anno singulæ venerint, id non invenio annotatum. Observandum porro, Acostam qui ante Herreram scripsit, dicere lib.7.cap.4, non minus Mexicanam, quæ erat septima natio, quam sex alias, exiisse ex Aztlan & Teuculhuacan, & fuisse omnes gentes bellicosas & politicas, & politiores iis qui prius regionem illam incolebant, qui erant silvestres & impoliti. Quantum autem hæc conjecturis tuis quas aliorum sensibus probabiliores judicas, conveniant, vellem te attendere, & deposita iracundia animadvertere, me bene monuisse, origines horum

horum populorum altius esse repetendas quam à Groenlandis aut Islandis aut etiam Norwagis: quanquam nolim negare, etiam ab his incolas ad Americam venisse: sed tu ita impatienter fers tibi contradici, ita festinas ut verum videre non possis: oportet ut hoc emendes si famam tueri velis, & ut aliis parcius male dicas, qui malunt authores ipsos consulere quam aliis temere credere, aut obiter & dormitanter illorum sententiis assensum adhibere.

H. G.

ADde jam argumentum illud, quo & alios inductos video, ut crederent, non terrestri, sed maritimo itinere venisse, qui primi illas terras habitarunt, quod equos nullos secum adduxere.

I. D. L.

VEllem prius illud tuum argumentum forma aliqua imbuisses, & terminos illius planius explicasses, tum enim patuisset quam levis tua conjectura fuerit. nam si Norwagi secundum tuum calculum primum anno IↃCCCXCIV Islandiam cœperunt inhabitare: & Chichimecæ jam in nova Hispania fuerunt anno IↃCXX secundum Gomaram: secundum te autem auctores gentis Mexicanę jam intrarunt terrã Mexicanã an. IↃCCCCII: quis dæmon illos octo annis in

tantum auxit & per tanta terrarum ſpatia duxit? & unde fuerunt illi quos ibidem invenerunt? hic tibi Caio Cæſare aut Simone mago opus erit, ut te expedias, & aliquid novi comminiſcaris. De altero argumento quod ab equis ſumitur, jam dixi in priore opere: & poſt adhuc aliquid erit dicendum. ſed mihi crede, etiamſi Norwagos tuos ſtatim poſtquam in Groenlandiam deſcenderunt, omnes cum conjugibus & liberis in equos impoſuiſſes, non potuiſſent tam cito Chichimecis & aliis ad Lacum occurrere.

H. G.

QVid ergo propius creditu, quam ortos Groenlandia eos qui ulteriora tenuere, ita tamen ut, quando celebris fuit illa navigatio, per temporum ſpatia ex Suedia, Norwagia, Dania, cultores acceſſerint novi, magna ad ſobolem incrementa?

I. D. L.

EGo vero te magnum Iovis incrementum opinabor, ſi hanc concluſionem rite è præmiſſis ſequi oſtenderis. Videamus enim præmiſſas; Iſlandia habitata fuit ab Ingulfo Norwago Anno ıↄcccxcıv. Circa idem tempus Groenlandia pernoſci cæpta; utraq; provincia anno cıↄcccxcvııı Chriſtianiſmum accepit: intra quingentos annos, id eſt, anno cıↄcccc, potuit magnum auctum accepiſſe gens inprimus fœcunda.

auctores gentis Mexicanæ mare transierunt anno I Ↄ CCCXX. intrarunt in terram, quæ postea Mexicana dicta fuit, anno I Ↄ CCCCII. Nec spernendum, qui in terra Bacalaos habitant, cum Lapponibus, colore, cultu, vestitu, sedibus conguere. Postrema illarum nationum quæ Novam Hispaniam incolunt, & Lacum Mexicanum accolunt, eo venerunt trecentesimo trigesimo secundo anno ante Hispanos; id est, anno CIↃ CLXXXVII aut circiter. Ergo propius creditu, illos terrestri quam maritimo itinere venisse, & è Groenlandia aut Norwagia ortos. Si hæc conclusio sequitur è præmissis, vicisti utique. Verum si ex me quæras, propius creditu est, eos qui Novam Hispaniam & ulteriora ad dextram & sinistram tenuerunt, è Groenlandia non fuisse ortos: neque credo quemquam sanum judicaturum, hanc conclusionem è præmissis sequi, sed potius crediturum, manifestam esse principii petitionem, & Sophisticum Elenchum. Quid autem sibi vult quod adiicis; *quando celebris fuit illa navigatio, per temporum spatia ex Suedia, Norwagia, Dania cultores accesserunt novi?* Si navigationem Norwagorum intelligis in Groenlandiam, inter ipsos pervulgatam, ea non potuit esse admodum celebris, nisi jam accepto Christianismo, secundum fide

dignissimorum authorum testimonia: sin de celebritate apud alias nationes, aut celebritate navigationum superiori seculo; fieri potuisse credo ut aliqui eo se conferrent; sed tum orietur illa difficultas, quomodo Christianis sacris imbuti, tam cito potuerint oblivisci non modo se Christianos, sed etiam homines esse. Porro quum superiori seculo ad illas partes Americæ navigatum sit à Brittonibus, Hispanis, Anglis, Nostratibus, etiam ab iis incrementa accipere potuerunt: sed jam Christianos, neutiquam fuit verisimile, tam brevi tempore religionis non tantum in solidũ oblivisci potuisse, sed ad istum modum efferari. Atque hoc est commentum illud quod tantopere tibi placuit. Vt autem intelligas, illud ob alias, præter jam dictas, causas, admitti non posse, addo quod Herrera scribit dec. 3. lib. 4. cap. 18 Indigenas provinciæ *Vt latan*, quæ terminos jungit cum *Guatimala* antiquitates suas in libris pictis ostendisse ad annos octingentos & supra; & ibid. cap. xix, Otomies diversam gentem moribus & lingua Novam Hispaniam incoluisse, antequam septem illæ nationes ad Lacum venirent. Est & aliud non leve argumentum, gentes illas non venisse è Norwagia, quod ante Hispanorum adventum nullum frumentum Euro-

pæum

pæum habuerunt, ſed tantum Maizium aſiaticis familiare. Item quod Mexicani magnopere abhorruerint ebrietatem, & illam publice caſtigarint, & infamia notarint eos qui ſe inebriarent, ut notat ibid. cap. 15. Quanquam haud ignoro omnes pene Americanos ebrietati obnoxios eſſe. Sunt & alia multa, quæ diſſuadeant, credere gentes illas omnes (præter Iucatanenſes & alios paucos) è Norwagia aut ex Germanica proſapia ortos, quæ alibi explicanda erunt.

H. G.

Accedit, quod cur gentes pleræque Americæ cis Iſthmum credantur ortæ ex Germania, cujus veteris pars Norwagia eſt, attuli argumenta, quæ ſi non carptim ſumantur (id enim ſophiſticum eſt) ſed junctim, multum apud æquos judices habebunt ponderis, præſertim ubi non opponuntur validiora alia.

I. D. L.

NEque ego carptim tua illa argumenta ſumſi, ſed ſingula per ſe examinavi, atque adeo tandem junctim oſtendi nihil ponderis habere etiamſi omnia quæ illis gentibus tribuis adamuſſim ſic ſe haberẽt. Attuli quoque argumenta contraria, hactenus validiora, quia illa non refutaſti. Potiſſimum autem eorum eſt, non poſſe fieri ut omnes è Germanis aut Norwagis orti fuerint, quia

Nova Hispania & vicinæ partes jam incolas suos habuerint ante quam NorwagiGroenlandiam adirent. Sed tibi nihil videtur validum quam quod ipse comminisceris, nec æquos judices putas, nisi qui secundum te judicaverint. Sed videamus cætera.

H. G.

INter hæc magnum mihi certe est, quod sicut Islant, Frislant, Groenlant, Estotilant, in lant exeunt, quod Germanica Lingua regionem significat, ita & regiones pene omnes quæ sunt in parte novi Orbis Septentrionali. Adscribam non pauca ex Herrera; Cibitlan, Apanaslan, Massasilan, &c. Aztlan, unde reges Motezumæ majores numero octo.

I. D. L.

ATqui hoc argumentum omnium levissimum esse, ostendi multis rationibus. Hic autem obiter primo noto, *land*, non *lant* scribendum esse, si ortographia Germanica observetur. deinde, præter quod ante dixi in superiore Opere, non esse illa omnia regionum nomina, sed longe plura pagorum aut etiam oppidorum: & terminationem illam in *an* Mexicanis familiarem quam maxime esse, etiam in aliis quæ cum terra cognationem non habent. Hic addo, etiam fluviorum nomina ipsis in *lan* desinere. ut *Chimetlan*, quem *Gomara* scribit in *Pa-*

palua-

paluapan flumen deſcendere, quod hodie appellatur *Rio de Aluarado.* item *Tuiztlan*: & alia. Eandem rationem etiam obtinere in nominibus hominum, ut *Iztacmixtlitan* nomen viri apud eundem, parte ſecunda pagina 28. Præterea in omnibus illis vocibus quæ regionem, provinciam, ut tu vis, opidum aut pagum, ut ego, notant, terminationem non eſſe *lan*, ſed *an.* idque probo ex Acoſta lib.7.cap.2. ubi ait: Ay en aquella „ tierra dos provincias: la una llaman *Aztlan*, „ que quiere dezir *lugar de garças*: la otra ila- „ mada *Teuculhuacan*, que quiere dezir tierra „ de los que tienen abuelos divinos. Vbi il- „ lum vides non minus in poſteriore voce interpretari *tierra*, licet ibi non ſit *lan*. Atque ut hoc etiam credas de priori, *Aztatl* ipſis eſt *garça*, id eſt, ardea; atque hæc eſt illa vox quam præ cæteris magni facis. Idem etiam patet in plurimis aliis vocibus, etiam extra provincias Mexicanis ſubjectas, & quæ alia lingua utuntur, ut in Mechoacan, quod nomen Herrera dec.3. lib.3. cap.9. interpretatur, tierra de mucha peſcado.

H. G.

Q*Vod autem ex duabus ultimis conſonantibus poſterior extrita eſt, id plane mirari non debemus, cum proceſſus temporis in cœlo molliore tales vocum emollitiones quaſi neceſſario ſecum ad-*

 ferat,

ferat, ut ostendit nunc lingua Gallica & aliæ è Latina ortæ.

I. D. L.

IN priori dissertatione dixisti, *in omnibus illis vocibus Hispanorum pronuntiatio ultimam literam extrivit:* nunc vis videri hoc ab ipsis Mexicanis factum, utpote in molliori cælo degentibus. Non constas tibi. Sed scito, illos in molliori illo cælo degentes crebro consonantium concursu uti, omniumque minime illam mollitiem præ se ferre; quod è vocabulis pene omnibus poteras discere quæ apud Herreram & alios legisti, & quæ ego notavi. Quid? an Galli aut aliæ nationes quæ emolliverunt, in molliori cælo degunt quam Latini, quorum lingua corrupta fuit? aut Gallicum cælum jam mollius est quam olim fuit, quum easdem voces multo durius efferrent & scriberent quam hodie? aut Parisienses in molliori cælo degunt quam Vascones aut Hispani multi? Hominũ mores molliores, præsertim aulicorum, etiam pronuntiationem & scripturam molliorem faciunt, non cælum. Etiam nos Belgæ, quod non ignoras, linguam nostram multum emollivimus, uti & Angli, licet non in molliori cælo vivamus hodie, quam dudum.

H. G.

SIc & Norwegam si Hispanum pronuntiare jubeas, Noribega dicet. I.D.L.

I. D. L.

FAteor, ſed alia cauſa eſt, quia Hiſpani, uti & Galli, W non utuntur, alioquin apud illos invenies voces multo duriores quam ſit Norwega. Quid quod ne Norwagi quidem ipſi ſuam regionem Norwegam vocent, ſed Norrige? Nos & alii qui mollius loquimur dicimus Norwegen, & Angli *Norway*. De urbe in America, à qua hoc argumentum ſumſeras, dixi in meis notis, ad quas tu nihil hic reſpondes.

H. G.

NEc illud Alavandorum nomen à Longobardis ſive Lombardis longius abit, quam bipennis nomen Alabarde, quod veteres hiſtoriæ ſcribunt Lombarda, ſicut à Saxonibus Sacx, à Francis Franciſcæ dicta ſunt armorum genera.

I. D. L.

QVomodo hæc ſe habeant, nolo anxie excutere; nimirum an Alabarde & Lombarda idem armorum genus ſit; neque enim vocem Lombarda in Gloſſariis inveni, neque ipſe, quanquam multa adjecerim vocabula, illud adhuc in veteribus hiſtoriis offendi: Sacx & Franciſcam non dubito quin à nationibus quæ illis utebantur nomina acceperint: Verum primo tibi probandum erat iſtam gentem Alavandorum (in priori diſſertatione Alavardos dixiſti, atque

ita etiam hic te voluiſſe credo) in America degere: dein conſequentiam illam validam oſtendere ad cognationem originis demonſtrandam. Noſtrates dicunt Groots, Latini Arrogans; neque hæc vocabula longius abeunt quam illa quæ poſuiſti; num ergo quis recte ex eo concluſerit, Belgas & Latinos ejuſdem originis eſſe? Varia ejuſmodi excogitari poſſunt, ſi quis velit otio ſuo abuti. Interea gentem illam Alavardorum adhuc quæro.

H. G.

TEut gentis conditorem, Deumque, dictum Germanicis gentibus, notum omnibus, & inde ipſi ſibi dicuntur Teutſchen, quod Latine ſcribitur Teutiſci. Idem Deus Mexicanis. Negari id non debuit, cum teſtes habeamus & Herreram & Gomaram, qui res Corteſii diligenter perſcripſit, & præterea Martyrem Anglerium: & inde lingua Totonaca apud Herreram, & nomen proprium Theutlille, ut olim apud Germanos Teutobocchus, & ſimilia multa.

I. D. L.

QVid *Theut* ſit Germanis, & quæ inde deriventur, ſcio: ſed negavi *Teut* Deum eſſe Mexicanis: reſpondes, illud non debuiſſe negari, quia Herrera, Gomara & Martyr Anglerius hoc teſtantur. Debuiſſes verba illorum adſcribere: nam hoc in illorum ſcri-

ptis

ptis reperire non potui, ne quidem illis locis, quibus agunt ex instituto de diis Mexicanorum. Invenio quidem apud Gomaram: al templo llaman Teucalli, que quiere dezir „ casa de dios: y esta compuesto de Teult que „ es dios, & de Calli que es casa : id est: *Templum vocant* Teucalli, *quod sonat domum Dei: & est compositum ex* Teult *Deus*, *&* Calli *domus.* Herrera dec.2.lib.6.cap.3.narrat, Hispanos à Mexicanis fuisse vocatos *Teules*, id est, Deos: & ibidem lib.7.cap.17, Llamavan al „ templo Teucalli, que quiere dezir casa de „ Dios : esta composita de Teutl que es dios, „ y de calli que es casa. ita ut appareat, Deum „ generaliter appellasse *Teutl* aut *Teult*, non autem particularem aliquem suorum deorum *Theut*. Neque ignoras quæ Clariss. Cluverus de Theut sit commentatus, qui hoc nomen derivat à veteribus Ægyptiis, quibus Mercurius eo nomine dicebatur: neque dubium est, Græcorum Θεὸς & Latinorum *Deus* ab eadem esse origine. Quomodo autem ab hac voce *Teutl* fiat Totonaca, non video, neque Herrera hoc dicit; sed regionem montanam quæ inter oram maris & Mexicam sita est scribit vocari Totonacap, & montenses illic agentes Totonaques, quorum lingua diversa erat à Mexicana, admodum rudis, qualis & Otomiorum, nisi

forte

forte eadem : quomodo ergo à voce Mexicana originem habuerit, & quasi divina vocaretur?

H. G.

Vox Peque torrentem significans, in quam vicorum nomina desinunt, est apud Herreram.

I. D. L.

Ostendi in notis meis, Peque non significare Mexicanis torrentem, sed illos aliam vocem pro torrente usurpare: neque Herrera contrarium dicit : locum indicare oportet, si tibi credi velis: plurimorum quidem locorum nomina desinunt in Tepeque quod illis montem significat; nullam hactenus inveni quæ desinerent in peque non præcedente *te*.

H. G.

Cætera vocabula ex Anglis scriptoribus maxime sumsi : & non dubito quin plura detecturum sit tempus & quærendi cura.

I. D. L.

Parum interest è quibus Scriptoribus sumseris : ostendi enim in notis meis ad dissertationem tuam, te illa sumsisse sine delectu aut cura, & permiscuisse cum vocabulis quæ ad nationes pertinent longe à Mexicanis remotas, atque adeo Australis Americæ incolas, Peruanos & alios. Deinde monui quoque, nihil facilius esse quam co-

gnationem aliquam, inter vocabula diversissimarum nationum, aut reperire aut ad tuum modum torquere: sed nullum firmum argumentum ex eo sumi posse ad originem nationum designandam. Nec dubito quin ii qui æquo judicio rem perpendent mihi sint assensuri. Possem eo modo cŏcludere, Congenses Æthiopas originem ducere à Germanis: *ua* enim ipsis est van: *tuat* quaedt: *munna* mond: *vanqui* van wie: aut etiam à Latinis, quia *è*, ipsis, *est*: *lumunicu* lumen: *zulu* cælum. Quod autem subjungis; *non dubito quin plura detecturum sit tempus & quærendi cura*: tua intererat cum cura quærere, ut melius conjecturam tuam probares. Quis autem dubitat, Anglos Belgasq; cum multa vocabula observaverint, nequaquam omissuros fuisse, si qua congruentia cum sua lingua reperissent?

H. G.

ADdam & illud non spernendum in compositis nominibus apud Mexicanos, ut idem ille testatur, vocem quæ subjectum significat subsequi, præcedente adjuncto quo subjectum restringitur, quod in Germanorum vocibus compositis pene omnibus pariter se habere deprehendas.

I. D. L.

QVæso te annon & aliæ nationes præter Germanos eandem regulam sequuntur?

tur? annon Græcis idem mos eſt, & Peruanis? ut, *Pacaritambo*, generationis domus; & ſimilia?

H. G.

H*Vronibus Aihtaha pater: id quoque vetus Germanicum eſt Aita.*

I. D. L.

DIxi jam ante, me non plane negare, aut vero abſimile ducere, etiam gentes aliquas in Americam ſeptemtrionalem migraſſe è Germania aut Norwagia, & hoc potiſſimum credi poſſe de populis illis qui proxime ad Arctum degunt; ſed hoc mihi nequaquam veriſimile videri, quod in diſſertatione tua poſuiſti: *Omnes ferme populos qui cis Iſthmum ſunt panamæ ex Norwagia ortos arbitror.* Deinde etiam dixi non bene ex paucorum vocabulorum congruentia argumentum peti; nam *vatter* Germanorum eodem modo convenit cum πατὴρ Græc. & Pater Latinorum: nemo tamen propterea concludat, Germanos à Græcis aut Latinis ortos: nam ut bene à viris doctis obſervatum fuit, iſta vocum congruentia à multis cauſis contingere poteſt, atque etiam caſu. ut vanum ſit, te ex ejuſmodi vocularum paucarum congruentia, gentium originem velle concludere.

H. G.

H. G.

QVod si ideo gentes illæ Germanicæ non sunt, quia multa ibi vocabula reperiuntur non Germanica, jam à nulla gente orti erunt, quia vocabula illa cum nulla alia gente congruunt.

I. D. L.

QVis sanus ita argumentetur, gentes illas ideo non esse Germanicas quia multa ibi vocabula reperiuntur non Germanica? tamen hæc ita profers, quasi ego ita essem argumentatus. sed meum argumentum est, quia nulla apud Mexicanos & alios reperiuntur vocabula Germanica, aut ita pauca ut eorum ratio non sit habenda; quia & id in diversissimis gentibus reperitur. Quis autem te docuit cum nulla alia gente congruere? aut si quæ gens ita linguam mutavit ut nullum vestigium illius linguæ appareat qua majores illius usi sunt, an propterea quis bene concluderet, è terra ortos aut è cælo delapsos? Hæc sane lepida sunt, & tamen in his ita tibi places, ut subjungas:

H. G.

CVi consequens est, ut credantur aut ab æterno fuisse cum Aristotele, aut ex terris orti, ut de Spartis fabula est, aut ex Oceano, ut voluit Homerus, aut aliquos ante Adamum fuisse conditos homines, ut nuper quis in Gallia somniavit. Si hæc credantur, magnum video periculum pietati: si quæ ego dixi, nullum plane.

I.D.L.

I. D. L.

QVaſi vero, niſi tibi credatur, omnes è Norwagia ortos, ad hæc abſurda veniendum ſit quæ hic congeſſiſti ſine ulla neceſſitate: aut plus ad pietatem faceret, credere originis eſſe Germanicæ, quia paucula, apud illos reperiuntur vocabula Germanicis vocabulis ſimilia, quam credere ab aliis ortos; quia nequaquam veriſimile eſt, ſi à Germanis orti eſſent, tam pauca aut nulla vocabula Germanica apud ipſos repertum iri: plurimi populi à Germanis orti, ſed non dabis mihi ullum, qui linguam ita mutaverit, quin origo è lingua adhuc demonſtrari poſſit: plures anni ſunt ex quibus Anglo-ſaxones emigrarunt è Saxonia in Angliam ſive Britanniam Inſulam, quam quibus Norwagi à te dicuntur migraſſe in Americam; tamen adhuc maximam partem eorum linguam eſſe Germanicam, poſſum demonſtrare, licet dialecto differat. Plura ejuſmodi exempla dari poſſunt de Germanis, & Scythis, & Slavis, aliiſque. Annon licet ad eundem modum de Mexicanis credere, licet eorum linguam non poſſimus comparare cum alterius gentis lingua, quia ignoramus ipſorum linguas à quibus orti eſſe potuerunt: nam ab aliquo poſterorum Noachi ortos eſſe pie credimus.

H. G.

H. G.

VEre dixit Herrera, singulis prope vicis singulas fuisse linguas ante constitutum imperium apud Mexicanos: imo partim & postea.

I. D. L.

DE singulis prope vicis Herreram hoc dixisse, numquam probabis: neque populorum illorum lingua mutata fuit aut exolevit post constitutum imperium Mexicanum: nam Chichimecarum & Otomiorum lingua, quæ antiquissima est in illis regionibus, hodieque manet. sed multi populi præsertim qui viciniores & maxime obnoxii, bilingues fieri sunt coacti, & linguam populi dominantis discere, ne semper per interpretes agere necesse esset. quod & in Europa & Asia atque Africa contigisse notissimum est.

H. G.

IDque necesse est accidere ubi homines inter se segreges suspectique vivunt, ut notavit Garcilas Vega, tum in Peruana, tum in Floridæ Historia. Idem de Huronibus, tantilla parte, dixit Sagardus.

I. D. L.

Etiam de aliis multis idem dici potest: neque ego hoc negavi: sed hoc dixi, quod tu quoque negare non debueras, è lingua argumentum omnium levissimum

 duci,

duci, nisi exacte cum illa congruere demonstretur à qua originem ducere contendimus. Tu autem vis probare è pauculis vocibus originis cognationem, cum tamen admittas, posse fieri, ut cum homines segreges suspectique inter se degunt, lingua penitus diversa fiat ab ea quæ ante fuit. Quum itaque videamus linguas illorum populorum diversas esse, non magis necesse est credere mutatas à Germanica, quam ab alia quavis etiam ignorata: nam si mutata est, ab alia aliqua mutatam necesse est, aut recens factam.

H. G.

V*Eniamus ad morum indicia. Tacitus de Germanis:* Prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt. *Dicit idem de Massagetis Strabo, sed ita ut eos in ea re à cæteris Scythis distinguat. Nam à Scythis orti Getæ, quibus singulis plurimas fuisse uxores idem Strabo Menandri versibus probat. Et is mos mansit apud Tartaros tum magnæ, tum minoris Tartariæ.*

I. D. L.

QVid igitur vetat, si illis gentibus, de quibus tu, singulis singulæ uxores fuere, eas à Massagetis deducere? aut etiam ab aliis gentibus barbaris, vel etiam non barbaris? nam Tacitus non dicit, soli barbarorum, sed, prope soli: & tu hic excipis Massagetas

getas inter Scythas; & ita etiam alia exempla inter barbaros possent reperiri. Pluresque hodieque barbari sunt, id est, moribus efferatis, quorum majores politiores fuerunt; nam quum homines segreges & suspecti inter se degunt, sicuti lingua, ita & mores mutantur. Vide autem quam parum tibi constes; priori dissertatione dixisti, *apud Scythas ab omni ætate usitatum fuisse plures uni viro esse uxores*; hic contrarium fateris de Scythis Massagetis; postquam hoc te monueram.

H. G.

VEtustissimi Septentrionalium Americanorum, teste Gomara, sunt Chichimecæ, Magatecæ, Otomri, Pindes. His omnibus more Germanico singulæ uxores.

I. D. L.

PRimo, quid necesse est dicere more Germanico, cum aliæ quoque gentes, &, ut tu fateris, Massagetæ, eundem morem habuerint? hæc est manifesta petitio principii. deinde *Gomara* non dicit, *Chichimecas* vetustissimos Septentrionalium Americanorum fuisse, sed vetustissimos incolas Novæ Hispaniæ seu Mexicanæ: & hoc conjecturam tuam evertit ut ante demonstravi, siquidem Chichimecæ jam ad Mexicanam venerunt dudum antequam Norwagi in Americæ

continentem veniſſent: idem quoque de Otomiis liquet. Gomara part.2. cap. *de las muchas mugeres*: quum dixiſſet, Mexicanos, præſertim opulentiores, multas uxores du-
„ cere; ſubjungit: Algunas provincias y ge-
„ neraciones hay, como ſon Chichimecas,
„ Mazatecas, Otomis y Pinoles, que no to-
„ mam, mas de una ſola muger, y aquella no
„ pariente. Aunque tam bien es verdad que
„ los ſennores y cavalleros toman quantas
„ quieren. Vbi Mazatecas mutaſti in Magatecas, forte ne cum Maſſagetis congruere viderentur: & Pinoles in Pindes.

H. G.

ADdit *Tacitus exceptionem*: exceptis admodum paucis, qui non libidine, ſed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur. *Eadem plane exceptio eſt apud Herreram de Honduris, Iacobum le Maire de Gallorum in Floridam itineribus, & apud Garcilam Vegam in deſcriptione Floridæ. Is enim ipſe Incharum nepos qui de Peruanis, etiam de Florida ſcripſit, & quidem accurate.*

I. D. L.

NOn opus eſt eadem repetere quæ in prioribus notis dixi: ſcio, hanc exceptionem apud multas gentes obtinere; & liquet, apud multas etiam nationes auſtralis Americæ idem obtinuiſſe, & contra apud plu-

plurimas ſeptentrionales ſe habere: ita ut nihil certi ex his concludi poſſit. De Honduris falſum eſt Herreram hoc dicere. Dec. 4. lib. 8. cap. 3. *tenian quantas mugeres querian:* habebant tot uxores quot vellent. Ibidem cap. 5. *Vſavan que en muriendo un hermano, las mugeres que quedavan viudas avian de yr à caſa del otro hermano, y las avia de recibir por ſus mugeres.* id eſt, defuncto uno germano, fæminæ quæ viduæ erant factæ, ibant ad domum alterius germani, & oportebat illum eas in uxores accipere. Florida quam latiſſime patet, neque omnium Floridanorum eidem ſunt mores, ſed multum diverſi. Galli tantum adierunt illos qui ad mare Germanicum habitant. Qui de Gallorum in Floridam itineribus ſcripſit, vocatur Iacobus le Moyne, non le Maire. Nihil ex hiſce nuptiis concludi poteſt ad originem à Germanis probandã, ob rationes quas hic & alibi dixi.

H. G.

HAbes ibi arma, arcus & ſagittas, tribunalia contra æſtus.

I. D. L.

DE tribunalibus alibi jam diximus: arma arcus & ſagittæ ſunt pene omnibus incolis utriuſque Americæ: quis ex eo concludat originis eſſe Germanicæ?

 H. G.

H. G.

POenam adulterii eandem quæ apud Germanos in Tacito: Accisam crinibus, nudatam, coram propinquis expellit domo maritus. *Arcus & sagittas etiã in Virginia Angli notarunt.*

I. D. L.

DE adulteris alibi respondi; & morte puniri apud multos barbaros, constat, præsertim apud incolas Novæ Hispan. Gomara: La pena del adulterio era morte natural. Paulo ante idem dixerat; divortia non permitti sine conscientia Iudicum & sine causa. Non raro tamen illos expellere uxores sine causa & mandato Iudicum. Et illo casu, Chamuscavan, inquit, les los cabellos en la plaza por afrenta y sennal que no tenia seso. Erat ergo hæc non pœna, sed injuria, neque signum adulteræ, sed insensatæ. Vide quam bene hæc ceperis. Neque hoc Germanis proprium aut etiam septentrionalibus Americanis, sed recte à viro docto in Notis ad Benzonem, hoc à diabolo, ut pote à lege naturæ propagatum, obliterari non potuisse, ut adulteria impunita tolerarent. Arcus & sagittas nusquam desideres in tota America. an propterea à Germanis ortos concludes? an non & Scythis & plurimis Europæ, Asiæ, Africæ incolis eadem arma usitatissima? fuerint ergo omnes qui illis

illis utuntur à Germanis oriundi.

H. G.

D*Vodecim judices habes apud Herreram, ſic & apud Gothos olim.*

I. D. L.

SEd non deſignas quibus populis illos duodecim judices tribuat, aut quibus verbis aut quo loco Herrera hoc dicat. credo te de Mexicanis intelligere, de quibus loquitur ad eundem modum quo Martyr Anglerius, *decem aut duodecim*, ita ut certum numerum non ponat, ut tu hic affirmas: apud vicinos Tepeacas tantum quatuor nominat: & ita diverſe apud diverſos. Obiter autem hic notandum quod in prioribus meis notis præterivi; apud Anglos hodie duodecim illos non eſſe ordinarios judices, ſed ſingulis vicibus & pro rerum aut locorum, etiam perſonarum differentiis, illos deligi & jurejurando aſtringi ad unum judicium: quod nihil commune habet cum Mexicanis.

H. G.

N*Icaragua colonia eſt Mexicanorum: fur ibi in ſervitutem addictus ei cui damnum dederat: ignavorum in milites, rupta arma. Habes eadem in Gothorum & Longobardorum legibus, ubi illa armorum ruptio dicitur Harniſcare.*

I. D. L.

NIcaragua ſatis ampla provincia eſt & longe remota à Mexica: an Mexicani Reges ſuos in coloniam miſerint ad hanc provinciam, & an ea, quæ hic dicis ſine authoritate, ita ſe habeant, neque affirmaverim, neque negaverim; nihil enim tale inveni apud Herreram. Sed ad id quod addis, eadem reperiri in Gothorum & Longobardorum legibus, & illam armorum ruptionem ibidem dici Harniſcare; diſquirendum puto. Harniſcaræ vox legitur in legibus Longobardorum lib. 3. tit. 1. leg. 43. *de his qui ſine conſenſu Epiſcopi presbyteros in Eccleſia conſtituunt, vel de Eccleſiis ejiciunt, &c. aut illud bannum perſolvant, aut aliam harniſcaram ſuſtineant.* in veteri editione eſt *ariſcadam.* Habetur eadem lex in Capit. Karoli M. lib. v. §. XLIII. & ibi legitur *armiſcaram.* In capitulis autem quæ idem Karolus conſtituit anno 856, legitur *Harniſcaram;* ſicuti & in capit. quæ conſtituit an. 869. In capitulis quæ Sueſſione conſtituta ſunt anno 853, *Harmiſcaram.* Amerpachius *porro Harmiſcaram putat eſſe unam dictionem & ſignificare pœnam, ita ut ſit etiam noſtrum* armſcheer, hoc eſt brachii forceps aut vinculum, ut olim furca fuit ſervilis pœna. Doctiſſimus autem Henricus Spelmannus, eques Anglus, judicat,

non

non fuiſſe pœnam corporalem, ſed mulctæ genus, durioris forſitan. Inter varias enim, inquit, lectiones legis Longobardicæ codex unus MS. pro eo quod dicitur, aut aliam harmiſcaram ſuſtineant, reddit, aut aliam mulctam ſuſtineant. Quomodocunque ſit, nihil hic de armorum ruptione; aut de ignavis militibus.

H. G.

Narrat idem Herrera, ſervum factum, qui ancillæ ſe miſcuiſſet. Quod ipſum quoque in Gothorum eſt legibus.

I. D. L.

QVid tum? an propterea ſequetur, Mexicanos aut alios à Gothis oriundos?

H. G.

Sororum filios hæredes, non ſane alia de cauſa, quam quod certior ea cognatio, & infantes, ad amnem delatos, narrat poſt alios Benzo. Poſterius hoc etiam Gomara.

I. D. L.

AD prius quod attinet, reſpondi in Notis, illud apud Mexicanos non habuiſſe locum. vide Herreram dec.3. lib.4. cap.15. qui notat varios ſuccedendi modos. Addo etiam, Malabarenſibus id uſitatum, ut notat Linſcotius noſter. Ad poſterius etiam ibidem reſpondi, id Germanis non fuiſſe pro-

 prium,

prium, ſed cum aliis gentibus commune. In America auſtrali id etiam uſitatum. Ita ut nihil ex eo concludi poſſit ad originem Germanicam demonſtrandam.

H. G.

AD libertatis uſque jacturam aleæ luſum habet Herrera.

I. D. L.

APud Herreram illud invenire non potui; ſed Gomara hoc habet; ſed addit, id fieri ab hominibus infimæ ſortis.

H. G.

VIcatim habitaſſe gentes illas, & Acoſta, & alii.

I. D. L.

QVid hoc ad rem? non omnes ita, & inprimis non ita Chichimecæ, qui antiquiſſimi incolæ illarum regionum. etiam auſtralis Americæ incolæ vicatim habitarunt, ut omnes teſtantur. quid ex his concludas?

H. G.

TEmpora per noctes & lunas digeſta, prope omnes. Quæ omnia eſſe Germanica, negare nemo poteſt. Pars autem Germanorum Norwagi. Hactenus de Norwagica origine.

I. D. L.

DE his jam diximus in notis ad primam diſſertationem; ubi oſtendimus, illam tem-

temporum putationem per noctes & lunas non fuisse propriam Germanis, sed cum multis aliis gentibus communem; itaque nihil ex illa concludi ad originem Norwagicam probandam. Puto autem, si ratio ineretur, illud tuum *prope omnes*, ad paucissimos venturum. Quid multa? quum jam ante probaverimus, Americam septentrionalem dudum fuisse habitatam antequam Norwagi in Gronlandiam descenderent: & apud omnes constet, tam multas & diversissimas linguas obtinere, ita quidem ut in Guaxaca & Misteca haud magnis provinciis Herrera XIII numeret, & vix ratio omnium iniri possit: quumque gentes illæ tam diverso sint corporum habitu, moribus, cultu, sedibus: non potuerunt à solis Norwagis descendere.

H. G.

TRanseo ad Æthiopicam. Circumcisos fuisse cum Hispani in illas terras venerunt, Iucatanenses & vicinos quosdam populos, tam multos testes habemus, ut id negare non sit hominis modesti ac verecundi.

I. D. L.

NEque ego id absolute negavi, sed dixi, id mihi non videri verisimile, & Herreram qui post alios illos scripsit id omisisse. Fieri tamen posse ut ita fuerit; nam narrat Her-

Herrera, diabolum etiam præcepiſſe Mexicanis, ut idolum ſuum circumferrent, ut Iudæi arcam.

H. G.

BAptiſmum addit Martyr: Baptiſmo datum nomen regenerationis: adminiſtratum infantibus anno ætatis tertio. Parentes ad id ſe paraſſe jejunio & ſecubatione: confitendi morem, unctionem in fronte, honeſtam ſepulturam, fidem de judicio univerſali, Herrera. Hæc ſimul juncta alio referre non poſſum quam ad Æthiopas Chriſtianos. nam & unctionem Baptiſmo acceſſiſſe, ut apud Chriſtianos veteres, ita & apud Abaſenos; notatum optimo ſcriptori Alvareſio.

I. D. L.

PRimum negavi, Iucatanenſes & vicinos illos Æthiopes fuiſſe. ſcriptores illi vocant Morenos, id eſt, fuſcos; item nomuy Morenos, non Nigritas. Sed videamus verba Martyris. dec. 4. cap. 8. *Notandum & aliud ſanctitati tuæ gratum futurum.* Referunt, *Pueros jam anniculos puellaſque cum piis ceremoniis ſacerdotes in templis, aqua in crucem cum urceolo capiti ſuperinjecta baptizare videntur: verba non percipiuntur; actus & murmura licet animadvertere: neque enim illi uti Maumetici aut Iudæi, putant eorum templa violari, ſi alienæ legis quiſquam eorum ſacris intererit.* Atque hæc non de Iucatanenſibus, ſed de Cempoalanis, qui lon-

longiſſime diſtant ab illis, & quos nemo recutitos dixit, refert. Videamus porro quid Herrera dicat dec. 4. lib. x. cap. 4. El Bautiſmo ſolo en Yucatan ſe ha hallado en todas las provincias de neuva Eſpanna. y en ſu vocablo quiere dezir nacer otra vez: tenian à ello tanta devocion, y reverencia, que nadie lo dexava de recebir; penſavan, que recibian en el una pura diſpoſicion para ſer buenos, y no ſer damnados de los demonios, y conſegnir la gloria que eſperavan: davaſeles deſde edad de tres annos, haſta doze: y ſin el ninguno ſe caſava: eligian dia para ello que non fue aziago: amnavan los padres tres dios antes, y abſtenian ſe de las mugeres. Tratavan los ſacerdotes de la purificacion de la poſada echando fora el demonio, con ciertas ceremonias, y eſtas acabadas, yvan los ninnos uno à uno, y les echava el ſacerdote un poco de mayz y encienſo molido en la mano, y ellos en un braſero y en un vaſo embiavan vino fuera del peublo, con orden al indio que no lo beviеſſe ni miraſſe atras: y con eſto penſavan que avian echado al demonio. Salia el ſacerdote reveſtido con veſtiduras largas, y graves, y un hiſopi en la mano: ponian à los ninnos pannos blancos en las çabeças, preguntavan a los grandecillos,

„ cillos, si havian hecho algun pecado, y en
„ confessando, los apartavan à una parte: y
„ bendecia con oraciones, amagando les con
„ el hisopo y con cierta agua que tenian en
„ un huesso, les untava la frente, y las facio-
„ nes del rostro, y entre los dedos de los pies
„ y de las manos; y luego, se levantava el
„ sacerdote, y quitava los pannos à los nin-
„ nos y hechos ciertos presentes, quedavan
„ bautizados y acabava la fiesta en banque-
„ tes: y aliende de los tres dias, se avia de ab-
stiner el padre de su muger, nueve mas. Vides opinor te non omnia ex fide retulisse: sed nolo hoc à te exigere. Verum junge, quod Martyr dicit, *idolorum culturæ indulgent:* dec. 4. cap. 1. *pueros puellasque ibi suis immolant diis.* cap. 4. item *Idololatras & recutitos esse repererunt; pueros puellasque Zemibus immolant. Sunt Zemes nocturnorum lemurum simulachra, quæ colunt.* Quæ eadem & peiora adhuc illis tribuit Herrera. Ubi hæc junxeris cum antecedentibus, tum demum mihi dicas, an hæc tibi ad Æthiopas Christianos referenda videantur.

H. G.

R*Egnum Abesenorum pertinuisse adusque Manicongum, testantur relationes Antwerpiæ editæ anno* CIↃIↃLVIII.

I. D. L.

I. D. L.

DIxeras in prima diſſertatione, tibi videri Yucatanenſes oriundos ab Æthiopibus Chriſtianis; & mox, *Abyſſinorum eo tempore imperium ad Oceanum pertingebat.* id ego in notis meis negavi umquam ad mare pertigiſſe Atlanticum aut oceanum illum; nunc tu dicis pertinuiſſe aduſque Manicongum. quid hoc tibi velis, neſcio. nam regnũ Congenſe ampliſſimum eſt, neque umquam paruit Abyſſinis; & tantumdem eſt ac ſi diceres, Lotharingi pertinent aduſque regnum Francorum, ergo pertingunt ad mare Gallicum. ſi has nugas dixerim, iraſcêris & me obtrectatorem vocabis. Sed judicent modeſti & verecundi; & dicent, me verum dicere. Quæſivi admodum nuper è duobus domeſticis regis Congenſis an noſſent Abyſſinos, & an illis vicini eſſent? negabant. nam magis ad mare rubrum pertinent. Nec Alvareſius hic te quicquam juvabit: multo minus qui de rebus Congenſium ſcripſere.

H. G.

NIgritis, id eſt, Abaſenis & Nubis (fuere autem & Nubæ olim Chriſtiani, ut Alvareſius, & alii nos docent) vetera fuiſſe commercia cum Oceani Æthiopici accolis, dicit Leo Afer. Et inde, niſi fallor, circumciſio in Caracomba inſula, quæ eſt in oſtiis fluvii Gabar, cujus rei teſtem habemus Linſcotium. I.D.L.

I. D. L.

SIngula examinemus: *Nubæ olim fuere Christiani, ut Alvaresius & alii nos docent*: ita est; nam Ægyptum proxime attingebant. *Nigritis vetera fuisse commercia cum oceani Æthiopici accolis, dicit Leo Afer.* Et hoc verum est, sed non de omnibus. neque enim potest. Nam Nigritarum regiones se quam latissime intra continentem extendunt à mari Atlantico ad mare usque Rubrum: Nam ut dicit Leo Afer lib. 1. cap. *Terræ Nigritarum in sua regna distributio*, dividitur & Nigritarum terra in multa regna. dein: *vidi ego quindecim Nigritarum regna, sunt tamen & multo plura, quæ ab illis satis perlustrata atque nota sunt, quæ ego non invisi: eorum igitur nomina, sumendo ab occidente principium, atque orientem versus & meridiem pergendo, sunt hæc*: Gualata, Ginea, Melli, Tombutum, Gagos, Guberis, Agades, Canos, Casena, Zegzega, Zanfara, Guangara, Burnum, Gaoga, Nubæ. *Hæc sunt quindecim illa regna, quæ maxima ex parte ad Nigrum sita sunt*, &c. Vbi vides, Nubiam extremam ad orientem collocari. Quale ergo est hoc tuum argumentum? Nigritis commercia fuere cum oceani Æthiopici accolis, ergo Abasenis & Nubis. Non enim dicit Leo omnibus Nigritis commercia illa fuisse cum accolis oceani Æthio-

thiopici,ſed de eis qui mare Atlanticum attingunt:à quo Nubæ & Abaſeni longiſſime ſunt remoti : Nubia enim conjungitur cum Gaogæ regno, quod habet ad occidentem, Nilum ad orientem, ad meridiem habet Goraniæ deſertum, ad ſeptentrionem Ægypti finibus terminatur, inquit Leo lib.7. Vide quantis terrarum ſpaciis hoc regnum à mari Atlantico & Æthiopico diſtet, & non poteris non animadvertere quam male hic à Nubis argumenteris. Quid quod Leo non dicat Nigritas habuiſſe commercia cum Oceani Æthiopici accolis, ſed cum maris oceani accolis. Gualatam autem,cujus primo loco meminit & à quo Nigritarum deſcriptionem orditur, à mari oceano circiter centum milliaribus diſpeſcit. Pergis, *& inde, niſi fallor*, id eſt, ab Abaſenis & Nubis, *circumciſio in Caracomba inſula, quæ eſt in oſtiis fluvii Gabar, cujus rei teſtem habemus Linſcotium.* Flumen hoc in Africa ſitum eſt, & hodie vocatur *Gabon*; Linſcotius vocat *Gabam*. Cur hoc nomen ita mutaris,neſcio. Inſulam vocat *Caracombo*: de incolis dicit; *Mirari autem licet circumciſionis apud eos uſum, cum tamen Legis, divinique cultus expertes ſint.* Quid autem neceſſe eſt credere, ab Abaſenis aut Nubis accepiſſe; aut quid hoc ad inſtitutum tuum?

H. G.

OBjicitur & mihi & Martyri Anglerio, qui idem ante me ſenſit, magnum Oceani ſpatium, & quod Iucatanenſis regio & quæ ei ſunt vicina, iſtis Æthiopiæ partibus, non ex directo, ed ex transverſo objacet.

I. D. L.

NEgavi me uſquam apud Martyrem id inveniſſe. denuo quæſivi, nec occurrit. quare tu male hic Martyrem tibi jungis. oportuit enim primum oſtendere ubi Martyr hoc dixerit. Sed parum intereſt: quid ad argumenta reſpondeas videamus.

H. G.

REſpondeo, jactationes tam longinquas eveniſſe vi tempeſtatum.

I. D. L.

SEd oſtendi, ut ut longinqua jactatio fuiſſet, non potuiſſe tam longo tempore durare tempeſtates: & ſi maxime duraſſent, non potuiſſe commeatum ipſis ſufficere, & multas regiones prætereundas fuiſſe, & præſertim notiſſimas inſulas quæ mari Mexicano objacent: nam Yucatana ultra omnes illas jacet. Deinde notiſſimum eſt, in mari Atlantico aut Æthiopico non accidere tam longas tempeſtates, quà intra Tropicos concluditur: breves illæ ſunt, *travados* Hiſpanis; & naves magis cum malacia

quam

quam cum tempestatibus confligantur in illo Oceano.

H. G.

T*Estes sint Indi, quos diximus ad Germaniæ delatos littora.*

I. D. L.

DE Indis jam diximus. & nihil est simile in utroque casu, utcumque illud de Indis verum esset. nam si Sinenses fuerunt, ut tu vis, non intrarunt Oceanum Atlanticum, sed circum septentrionem navigarunt: longe autem diversa utriusque maris ratio.

H. G.

A*Vdiamus & Tacitum de coborte Vsipiorum in Britanniam transmissa:* Tres Liburnicas *adactis per vim gubernatoribus ascendere*, & uno remigante, suspectis duobus, eoque interfectis, non dum vulgato rumore ut miraculum provehebantur. Mox hac atque illac rapti, & cum plerisque Britannorum sua defensantium prælio congressi, ac sæpe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiæ venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos, vescerentur. *Atque ita* circumvecti Britanniam, *amissis per inscitiam* regendi navibus, pro *prædonibus habiti*, primum à Suevis, *mox à Frisiis intercepti sunt.*

I. D. L.

VErba ſunt Taciti in vita Agricolæ; nihil hic de tempeſtate; geſta hæc in mari quod Bataviam noſtram à Britannia dirimit: & vides in tam brevi navigatione coactos commilitonibus ſuis veſci. cogita ergo quid futurum fuiſſet, ſi Æthiopes ab Africæ ora ad Iucatanam venire coacti eſſent.

H. G.

N*Arrat idem, diſiecta Germanici claſſe, partem navium deductam in noviſſimum & ſine terris mare: alias ejectas apud inſulas longius ſitas: militem nullo illic hominum cultu, fame abſumtum, niſi quos corpora equorum, eodem eliſa, toleraverant. Alios in Britanniam raptos.* Hos, *ut ex longinquo revenerant, miracula narraſſe, vim turbinum, & inauditas volucres, monſtra maris, ambiguas hominum & belluarum formas.*

I. D. L.

HIſtoriam hanc deſcribit Tacitus lib. 11. Annal. *Sed æſtate jam adulta, legionum aliæ itinere terreſtri in hibernacula remiſſæ, plures Cæſar claſſi impoſitas per flumen Amiſiam Oceano invexit. Ac primo placidum æquor mille navium remis ſtrepere aut velis impelli: mox atro nubium globo effuſa grando; ſimul variis undique procellis, incerti fluctus proſpectum ademere, &c. & mare omne in Auſtrum ceſſit, qui tumidis Germaniæ terris, profundis amnibus, immenſo nu-*

bium

bium tractu validus, & rigore vicini ſeptentrionis horridior, rapuit diſiecitque naves in aperta Oceani, aut inſulas ſaxis abruptas, vel per occulta vada infeſtas. & poſt pauca: *Quanto violentior cætero mari Oceanus & truculentia cæli præſtat Germania, tantum illa clades novitate & magnitudine exceſſit, hoſtilibus circum littoribus, aut ita vaſto & profundo, ut credatur noviſſimum ac ſine terris mare, &c.* Legat cætera qui volet, hæc tantum adſcripſimus, ut æquus lector intelligat, quantum tibi permittas in authoribus citandis; nam cum ille tantum dicat, *ut credatur noviſſimum,* &c. tu abſolute dicis, in noviſſimum & ſine terris mare. Quum ſatis pateat de quo mari agat. Cæterum neque hoc exemplum quicquam facit ad probandum quod probare debueras: nimirum potuiſſe fieri ut ſub zona torrida naves ab Africæ littore vi tempeſtatum impellerentur ad Iucatanam. Nam longe alia eſt ratio marium noſtrorum, & tempeſtatum quæ in illis accidunt; & etiamſi Romani vel ad Iſlandiam fuiſſent diſiecti, (quod tamen non eſt veriſimile) nihil hoc faceret ad probabilem faciendam jactationem illam ab Africa ad Iucatanam.

H. G.

ADde jam multis gentibus morem fuiſſe cum feminis navigandi, quod & Herreræ notatum.

 I.D.L.

I. D. L.

UBi Herrera hoc dixerit, indicandum fuerat;& dixerit forte de Americanis, qui ab una inſula ad aliam, aut à continente ad vicinas inſulas navigant. Sed noſti, nobis, in notis ad Diſſertationem tuam primam, ſermonem fuiſſe de piſcatoribus: eos enim ab ora Africæ provectos & per ventos illos vehementes dixeras in Americam abreptos: ignarus etiam, iis qui ab ora illa ſolvunt difficile eſſe in altum provehi.

H. G.

ET ſolere propter maris incerta in multum tempus aſſumi commeatus.

I. D. L.

RIdiculum: quid opus piſcatores, qui raro à conſpectu terræ abſcedunt, neque incerta maris timent, in longum tempus commeatus aſſumere? ad minimum in tres menſes hoſce aſſumſiſſe oportuit, ut vitam tolerarent: explicandum itaque tibi, quantæ iſtæ naves piſcatorum fuerint, quibus uſi ſunt.

H. G.

TEmpeſtatibus quoſdam in Americam delatos, etiam Acoſta ſentit.

I. D. L.

NEque ego diſſentio, ſed non piſcatores ejuſmodi, ſed mercatores, qui longiori itineri

itineri se comparaverant, & commeatus in longinquam navigationem assumserant.

H. G.

BRasiliam tali casu inventam à Portugallis, omnes consentiunt.

I. D. L.

NOn est talis aut similis casus; classis illa Portugallorum Indiam orientis petebat, & commeatus ad longum iter vehebat; atque cum oram Africæ vitaret, uti adhuc hodie consuetudo obtinet, propius ad Americam insciens accesserat, ita ut non sit mirum illam ad Americam impulsam fuisse. Describit hunc casum Osorius lib. 2. de rebus gestis Emanuel. R. *Interim vero Capralis, qui in Indiam navigabat, eundem cursum quem Gama tenuit, secutus est, donec ad insulam S. Iacobi devenit. Cum vero ulterius progrederetur, coorta tempestate sævissima, classis dissipata fuit, & navis una, fractis armamentis, Olysiponem rediit. Capralis sedata tempestate naves omnes recollegit, & versus occasum navigavit. Octavo Kal. Maii nautæ terram conspiciunt.* &c. Vbi vides, illum non tempestate in Brasiliam rejectum, sed quia, sedata tempestate, occasum versus navigaverat, cum versus Euronothum debuisset, in illam casu incidisse.

H. G.

Probabile autem esse quod hic dixi, nec ipse qui contradicit, negare debuit. dicit enim ipse, quod de Cananæorum in Americam adventu dicitur, fidem meriturum, si Cananæi ad oram Atlantici Oceani habitassent. Ad eam vero habitant Æthiopes illi unde ego Iucatanenses ortos arbitror.

I. D. L.

Æthiopes illos Christianos ad oram maris Atlantici habitasse negavi, neque tu probasti. deinde longe alia est ratio Cananæorum de quibus agebatur, qui ad longiorem navigationem se comparasse dicebantur, quam piscatorum quos vi tempestatum abreptos credis. deinde notæ sunt Sidoniorum navigationes, & habuerunt alia navigia quam lembos piscatorios.

H. G.

Et hoc forte voluerunt Chiapæ habitatores, cum suos majores ab Austro venisse dicerent. Nam Æthiopia illis Americæ partibus ad Euronotum sita est.

I. D. L.

Perlepida sane conjectura. Num considerasti ubi Chiapa provincia sita sit? ea & mediterranea est, & continens Americæ, in qua sita est nobis ad Austrum. itaque ab Euronoto majores suos venisse oportuit si ab

Æthio-

Æthiopibus ſint orti. Herrera de illis agens dec.4. lib.10. cap.10, ſcribit, illos antiquitus veniſſe è Nicaragua, quam habent ad ortum aut Euronothum. Et provinciam ſitam eſſe inter duo maria mediam; ita ut ad occidentem habeat *Tecoantepec*, ad meridiem *Soconuſco*, ad arctum provinciam *de los Zoaques.* Et ne tibi imprudenti hoc excidiſſe videretur, ipſe addis, *Æthiopia illis partibus Americæ ad Euronotum ſita eſt*: doce nos ergo, quomodo Æthiopes ad Euronotum ſiti, ab auſtro venire potuerint ad Chiapam; aut oſtende Auſtrum & Euronotum eundem eſſe ventum.

H. G.

IN Meſteca ſacra facta ritu & habitu Æthiopum, ait Herrera.

I. D. L.

HIc quoque te ratio fugit. Herrera dec. 3.lib.3. cap.3, deſcribens mores illius gentis, inter alia refert, primates hæredes ſuos ſolere mittere in monaſterium ſuorum ſacerdotum, ut ibidem diſcerent obedire. dein addit: Paſſado el anno yuan por el con,, gran alegria y pompa, y poniendole ſu pri-,, mer abito, le bolvian à ſu caſa, y lo lleva-,, van à bannar, y quatro donzellas hyas de,, cavalleros le labavan el cuerpo con xabon,, porque yva muy negro del humo de la tea,,

„como andavan de ordinario los ſacerdotes
„que parecian Negros de Æthiopia. Id eſt: *Anno elapſo illum repetebant cum grandi lᴂticia & pompa, & veſtitum priori amictu reducebant domum, & ducebant ad abluendum, & quatuor domicellᴂ filiᴂ nobilium abluebant illi corpus ſapone, quia admodum niger erat à fumo tedᴂ, uti & ſacerdotes communiter erant, ita uti viderentur Nigritᴂ ex Æthiopia.* Lava nunc tu hunc Æthiopem; aut oſtende ubi Herrera dixerit, *in Miſteca ſacra facta ritu & habitu Aethiopum.*

H. G.

B*Rerewodus vero, ſcriptor diligentiᴂ etiam noſtro obtrectatori laudatᴂ, ait, eos qui in Quarequa ſunt Americᴂ, vi tempeſtatum credi ejectos ex partibus Guineᴂ aut Aethiopiᴂ.*

I. D. L.

FVerit ſane hoc ita ipſi viſum, illud mihi non eſt neceſſe credere, non magis quam tibi, quod idem dicit, *quare videntur*, incolæ nimirum Americæ, *originem habere ex Aſia.*

H. G.

N*Eque me lᴂdit, quod Iucatanenſes non ſint nigro colore, ut Aethiopes. Solent enim corpora paullatim vi cᴂli novi degenerare à ſua origine, ita ut Portugallorum in India Aſiatica ſoboles tertia, Indis eorum locorum ſimilis ſiat, quod Linſcotio notatum.*

I.D.L.

I. D. L.

VErum meminisse debebas, candorem ab æstu facile infuscari, nigrorem non item à frigidiori cælo auferri: ita ut non sit mirum, parentibus sensim à sole adustis & fusco colore infectis, similes sibi liberos progenerare. Æthiopes etiamsi migrent in aliud cælum, colorem non mutare, notum est; neque color illis à cælo, nam alioquin etiam in Brasilia, quæ Æthiopiæ opposita est, homines itidem nigri nascerentur. Sed nolo hanc quæstionem jam attingere.

H. G.

ATque ita nunc, quantum tempora ferunt, absolvimus nostras de parte nobis propiore conjecturas.

I. D. L.

MElius fecisses, si maturius de iis deliberasses; nam nihil adhuc attulisti ferme, (præter ea quæ ante dixeras) quam crebra in me convitia, & miseras tergiversationes.

H. G.

EOs qui ad Austrum sunt venisse ex terris ultra fretum Magellanicum, non operosæ est probationis, cum Petrus Fernandes de Quir, productus ab obtrectatore, certus testis, dicat, qui Americanorum habitum & mores noverit, statim animadversurum magnam similitudinem inter eas natio-

nes,

nes, ut maxime verisimile sit eandem esse originem. Et *qui fretum Magellanicum pernavigarunt, testantur, paria utrinque corpora & mores.*

I. D. L.

Verum est, eorum qui cis & qui ultra fretum illud degunt paria esse corpora & mores. ultra autem fretum plurimæ insulæ jacent angustis fretis diremtæ, neque admodum populosæ. Non de illis agit Petrus Fernandes de Quir, sed de aliis magnis insulis aut forte continente ad austrum: non enim adhuc constat, an continens sit, an vero insulæ. potuit autem continens illa facilius incolas accipere ab America, quam hæc ab illa. Verum hoc in medio relinquo. Neque enim hæc est quæstio inter nos. tu omnes incolas Australis Americæ ad Isthmum usque Panamensem inde venisse volebas præter Peruanos: ego vero dixi, nihil causæ esse cur separatio illa ad Isthmum illum constituatur. Nihil enim obstare quo minus potuerint ab una in alteram commigrare. Non negavi etiam, incolas à meridie, forte & oriente, venisse.

H. G.

Et *apud Peruanos vetus erat fama, gentes illas ipsis ad Austrum obsitas, à multo australioribus locis venisse; & quidem, quod Acosta ait, mari.*

I.D.L.

I. D. L.

HIc iterum ratio te fugit, nec advertisti quid Acosta diceret. Lib. 1. cap. 19: Ay „ en el Piru gran relacion de unos gigantes, „ que vinieron en aquellas partes, cuyos hu- „ essos se hallan oy dia de disforme grande- „ za cerca de Manta, y de Puerto viejo, y en „ proporcion avian de ser aquellos hombres „ mas que tres tanto mayores que los Indios „ de agora. dizen, que aquellos Gigantes vi- „ nieron por mar &c. Id est: *Est in Peruvia „ grandis fama Gigantum, qui venerint in illas partes, quorum ossa inveniuntur hodieque deformis magnitudinis circa Mantam & Portum veterem, & secundum proportionem oportet triplo majores fuisse quam Americani hodie visuntur. Aiunt illos venisse mari*, &c. Si jam placeat inspicere tabulas Geographicas, deprehendes, Mantam sitam in Peruviæ parte maxime septentrionali, & te perperam dixisse, gentes illas ipsis ad austrum obsitas, à multo australioribus locis venisse, secundum Acostam. Sed idem est error qui supra: Et nimium festinanti hæc excidunt.

H. G.

QVod si à freto Magellanico pone fretum Lamairii continuus est terrarum tractus ad ea usque loca, quæ Gilolum & Iavam respiciunt, ut multos suspicari video, & sacris scripturis credimus,

mus, ex Asia primum ortum omne humanum genus, unde potius quam ex ipsa India Asiatica venisse credamus illos qui magnam illam terram Antarcticam incolunt, in omnem partem me versans cogitare nequeo.

I. D. L.

NEque ego contra id tetendi, sed incertum esse dixi, quemadmodum neque tu id certo asseveras. Ex Asia in utramquæ Americam venisse credo; & à Tartaria semel in continentem Americæ ingressis nihil obstat quin terra possint universam permeare. Sed suspendo judicium in re tam obscura.

H. G.

IN India Asiatica fuisse homines giganteæ magnitudinis, docet nos Bartolomæus Leonardus Argensola. Tales & in Americæ parte austrina fuisse, & fama prodidit, & ossa reperta, teste Witsitero: & nunc quoque non pauca corpora molis eximiæ. Venisse eos à locis trans fretum Magellanicum, ait Herrera. Ad fretum Mairianum visa itidem magnæ molis corpora, testantur qui de iis locis relationem fecere. Nec quicquam adferri video quod nostram hac de re conjecturam convellat.

I. D. L.

FVisse aliquando in orbe gigantes, S. Scriptura testatur; neque quicquam vetat credere,

credere, etiam in India Asiatica fuisse. quanquam quod hic Argensolam testem producis, id in illius libris quos scripsit de Maluccis non repperi, quanquam diligenter illos legerim. meminit semel atque iterum gigantum, sed ad fretum Magallanicum & uno loco ad marginem adscriptum, *Gigantes Indios*; quod credo aut te aut illum qui tibi suggessit decepisse. De Herreræ testimonio jam diximus. Et per me licet ut conjectura illa tua fruaris. Verum, quod in prioribus notis monui, etiam in septentrionali America ossa gigantum reperta; & sunt in illa hodieque non pauca corpora eximiæ molis.

H. G.

Non magis temerarium videri potest, quod Peruanos, ut alterius ingenii, ita & alterius originis esse credidi, & quidem ortos ex Sinensibus. Sinenses quippe, ab antiquo sedulos navigatores, loca quamvis longinqua mari quæsiisse, & Xaverius & alii commemorant.

I. D. L.

Multis rationibus in meis notis ad tuam primam Dissertationem ostendi, cur id minus verisimile videatur. nam si argumentum sit, quod Peruani alterius ingenii fuerint, quam reliqui incolæ illius austrinæ continentis, etiam Mexicani longe elegan-

tioris

tioris & politioris ingenii fuerunt quam reliqui incolæ Novæ Hiſpaniæ: & minus temerarium foret illos à Sinenſibus deducere, & ſcribendi aut res geſtas notandi modus melius convenit. In neutra tamen parte inventa fuit illa induſtria qua Sinenſes pollent; quod ab Hiſpanis obſervatum. Sinenſibus antiquitatem navigandi in illis partibus Aſiæ deberi, in confeſſo eſt, neque negavi illos etiam ad partes longinquas navigaſſe in mari illo Indico cui adjacent, ſed dixi minus probabile eſſe illos navigaſſe in Peruviam, quia difficillima eſt navigatio in mari pacifico verſus ortum, & longiſſima: ita ut ne hodie quidem, cum ars navigandi adolevit, à nationibus multo peritioribus in illa arte fuerit tentata niſi longo circuitu; nam qui à Philippinis ad Novam Hiſpaniam navigant, verſus Arctum primum coguntur deſcendere, antequam ſecus Californiam enitantur: & qui à Nicaragua verſus Peruviam navigant, ſecundùm oras velificant, & longo tempore opus habent ut optatos portus attingant.

H. G.

Solitos eos ſine pyxidis nauticæ auxilio maria tranſire, Acoſta. Itaque nihil mirum, ſi multum quærendo, ex ſua continente in inſulas, ex inſulis in oppoſitam continentem devenerint, ibique

oram

oram legendo pervenerint ad occiduas Peruanæ partes, & inde ad Titicacam.

I. D. L.

QVod sine pyxidis nauticæ auxilio maria transire soliti fuerint antiqui, ut & Sinenses, id Acostæ argumentum est, temerarium esse credere, veteres tam vastum Oceanum enavigasse. Tu contra ex illo concludis, non videri mirum; adjungens pertinaciam ad sensum quem semel tibi formasti. Continens illa, aut insulæ quarum oram legisse illos dicis, ad minimum adhuc septingentis aut octingentis leucis distat ab America australi, ubi vel proxime accedere creditur. Si ad Tititacam pervenerint, terra venisse necesse est; nam nusquam ille lacus accedit ad mare. Hæc omnia non sunt nisi vanissimæ conjecturæ, & quibus nihil erat opus.

H. G.

NAm certe de Sinensium navigiorum reliquiis testem habemus Martyrem Anglerium.

I. D. L.

IN Dissertatione tua priori dixeras, *ad oram Pacifici maris repertas reliquias navigiorum Sinensium*; ad id respondi, mare illud latissime patere ad fines usque Californiæ & porro; sed de Peravia fuisse probandum: nunc in genere confirmas ex Anglerio de

navium Sinensium reliquiis, neque indicas ubi Anglerius hoc dixerit: qui non potuit de Peruviæ littoribus hoc dicere, quum ne meminerit quidem usquam Peruviæ; absolvit enim decades suas ad annum 1526, cum Peruviam nondum adiisset Pizarrus. Hæc mera tergiversatio est.

H. G.

ICæ quoque & Aracæ habitatores, ut Acosta refert, dicebant, olim navigatum illud quod ad occidentem Americæ est mare.

I. D. L.

„ VIde quo modo: Acosta lib. 1. cap. 19.
„ Tambien quentan los Indios de Yca y
„ los de Arica, que solian antiguamente na-
„ vegar à unas Islas al poniente muy lexos, y
„ la navegacion era en unos cueros de lobo
marino hinchados. id est. *Itidem narrant Indi Ycæ atq; Aricæ, solitos se antiquitus navigare ad certas insulas ad occasum longissime, & navigatio erat in pellibus luporum marinorum inflatis.* Quam longum iter hoc esse potuerit, judicent lectores. Et tamen ejusmodi argumentis pugnas, ut evincas, minus temerarium esse credere, Sinenses ad Titicacam venisse.

H. G.

MAri eo ventum ante Hispanorum tempora, docent & Garcias & Benzo. Pari modo ad

ad Canarias venere Genuenſes anno Chriſti milleſimo trecenteſimo quinto.

I. D. L.

QVis ſit ille Garcias, ignoro, niſi forte ſit Gregorius Garcias dominicanus, qui ſcripſit Hiſpanice *Origen de los Indios*, ann. 1607, quem nondum vidi: apud Benzonem non memini me quicquā tale legiſſe. Quam apte autem hic Genuenſes in ſcenam producuntur? Genuenſes inter primos & navium mole & navigandi peritia inclaruerunt. Neque multum eſt ad Canarias navigaſſe, quæ non tam longe abſunt à continente, quam Sinenſes à Peruvia.

H. G.

NEque obſtat quod Peruani mirati dicuntur Hiſpanorum naves. Multum enim illæ & forma & magnitudine à Sinenſibus differebant.

I. D. L.

NAves illæ Hiſpanorum, quas Peruani mirati dicuntur, forma quidem, non mole à Sinenſium navibus differebant; nam primas illas Pizarri haud ita grandes fuiſſe ſatis conſtat, quippe quas ad oram Panamæ fabricaverat. Et nondum probaſti Peruanos Sinenſium naves vidiſſe: quas etiam magnæ molis fuiſſe neceſſe eſt, ſi tantum Oceani ſpatium enavigarint. Et veliferas eſſe Sinenſium naves conſtat; Peruani autem

vela maxime mirati dicuntur.

H. G.

NE Colchi quidem ſine navibus Phaſim tranſibant. Et tamen Colchus, qui Argo navem viderat, apud Actium novitatem rei his verbis exprimit:

—— tanta moles labitur
Fremebunda ex alto, ingenti ſonitu & ſpiritu:
Præ ſe undas volvit: pelagus reſpergit: reflat:
Ita ut interruptum credas nimbum volvier;
Aut quod ſublime, ventis expulſum rapi
Saxum: aut procellas, vel globoſos turbines
Exſiſtere ictos undis concurſantibus:
Niſi quas terreſtres pontus ſtrages conciet:
Aut forte Triton fuſcina evertens ſpecus,
Subter radices penitus undanti in freto
Molem ex profundo ſaxeam ad cælum eruit.

I. D. L.

CRedis ne Actium adfuiſſe quum Colchus iſta effunderet? bene eſt quod jam ad Poëtas & florum ſparſionem venimus.

H. G.

PRæter ingenii ac regiminis congruentiam notavimus & alias ſimilitudinis notas.

I. D. L.

DE regiminis congruentia nihil tu aliud in priori Diſſertatione dixiſti, quam ingenia eorum imperii capacia fuiſſe; quod & de Mexicanis dici poteſt: præter monarchiam,

chiam reliqua regiminis forma quoque comparanda fuerat, ut obtineres quod volebas.

H. G.

IN Sinis Solis frequentem fuisse cultum testantur Iesuitarum literæ. Et Iaponensium mos est per solem jurare. Eundem cultum in Peruana fuisse unicum, docet nos ille ex Incharum genere Garcilas, & quicunque de rebus Peruanis scripsere. Nam si qui sapientiores majus aliquod Sole agnovere numen, id intra animum fuit, sine ullo cultu conspicuo. Et tales etiam in Sinis & Iapane reperti sunt quidam.

I. D. L.

RESpondi ad ea quæ hic reponis; omnibus pene gentilibus cultum Solis familiarem fuisse, neque hoc arguere originem Sinensem. Vallis quoq; Tuniæ & finitimorum locorum incolæ Solem ut præcipuum numen colunt: inquit Benzo lib. 2. Qui diversi sunt à Peruanis, & Novi regni Granatensis incolæ. Docui præterea, Peruanos præter Solem coluisse Pachacamae, Creatorem omnium; idque non sapientiores & in animo tantum, sed in templo, & quidem omnium pene magnificetissimo. Ad quid ergo hæ tergiversationes?

H. G.

Figuras rerum apud Peruanos agnoſcit idem ille Garcilas, non in nodis illis & filamentis, ſed in parietibus. Monumenta rerum per figuras vice literarum apud Peruanos & Herrera.

I. D. L.

Non ſatis meminiſti quid priori diſſertatione dixeris? *Scriptura Peruanis non per literas, ſed per rerum notas, idque à ſummo chartæ ad imum, ut in Sinis.* Quid ad illa reſponderim, videat æquus Lector. Nunc tu nobis figuras adfers in parietibus pictas ex Garcila. Author ille jam nõ eſt ad manum, ſed dicam quod Acoſta de his notaverit lib.
„6. cap.8. Los Indios del Piru antes de venir
„Eſpanoles, ningun genero de Eſcritura tu-
„vieron, ni por letras, ni por caracteres, o
„cifras, o figurillas, como los de la China, y
„los de Mexico, mas no por eſſo conſervar
„on menos ſu cuenta para todos los nego-
„cios de paz y guerra, y govierno. Porque
„en la tradicion de unos à otros fueron muy
„diligentes, y como coſa ſagrada recebian, y
„guardavan los mocos, lo que ſus majores
„los referian, y con el miſmo cuydado lo en-
„ſennavan à ſus ſucceſſores. Fuera deſta di-
„ligencia ſuplian la falta de eſcrituras y le-
„tras: parte con pinturas como los de Mexi-
„co, aunque las del Piru eran muy groſſe-

ras

ras y toſcas : parte y lo mas con Quipes. Id eſt. *Peruani ante Hiſpanorum adventum nullum genus Scripturæ habuerunt, neque per literas, neque per characteres aut cifras aut figuras, ut Sinenſes & Mexicani, nihilominus conſervabant ſuas rationes in omnibus rebus pacis & belli atque regiminis. Quia in traditione ab unis ad alteros valde erant diligentes, & veluti rem Sacram recipiebant & conſervabant juniores, quæ à majoribus ipſis referebantur, & pari ſollicitudine poſteris ſuis tradebant. Præter hanc diligentiam, ſupplebant defectum ſcripturæ & literarum per picturas, ad eundem modum quo Mexicani, licet Peruanorum eſſent magis groſſæ & ineptæ : partim & potiſſimum per Quipes.* Eadem habes apud Hierteram, qui lubenter Acoſtam ſequitur; neque puto, ſi quis rem recte æſtimet, quenquam in hiſce rebus eſſe fide digniorem, quique diligentius & coram iſta examinaverit.

H. G.

ET *Mexicanos ait ab imo ad ſummum ſcripſiſſe: alios Americæ à ſummo ad imum, quod ſcitur eſſe de moribus Sinenſium. Libros in Americæ partibus quibuſdam fuiſſe vult Benzo.*

I. D. L.

ACoſta lib.6. cap.9. Los Chinos no „
eſcriven ni como los Griegos, ny co- „
mo los Hebreos, ſino de alto à baxo : por- „
que como no ſon letras, ſino diciones ente- „

 ras,

„ras, que cada una figura o caracter, ſignifica „una coſa, no tienen neceſſidad de travar „unas partes con otras, y aſſi pueden eſcrivir „de arriba à baxo. Los de Mexico por la „miſma razon no eſcrevian en renglon de „un lado à otro, ſino al reves de los Chinos „commencando de à baxo yuan ſubiendo, y „de eſta ſorte yuan en la cuenta de los dias, y „de lo mas que notavan. Aunque quando „eſcrevian en ſus ruedas, o ſignos, commen- „cavan de en medio, donde pintavan al Sol, „y de alli yuan ſubiendo por ſus annos haſta „la buelta de la rueda. Finalmente todas „quatro differencias ſe hallun en eſcrituras: „unos eſcriven de la derecha à la yzquierda: „otros de la yzquierda à la derecha: otros „de arriba à baxo; otros de à baxo arriba: „que tal es la diverſidad de los ingenios de „los hombres. Id eſt. *Sinenſes non ſcribunt neque ſicut Græci, neque ſicut Hebræi, verum à ſummo ad imum: nam quum non ſint literæ, ſed integræ dictiones, ita ut ſingulæ figuræ aut characteres ſignificent unam aliquam rem, non eſt neceſſe ut partes conjungant, ſed licet illis ſcribere à ſummo ad imum. Mexicani propter eandem rationē non ſcribebant ad lineam ab uno latere ad aliud, ſed contra quam Sinenſes ab imo incipientes adſcendebant, & ad eum modum agebant in calculo dierum, & aliis quæ notabant. Licet cum ſcri-*

ſcriberent in rotulis ſuis, aut orbibus vel ſignis, ordiebantur à medio, in quo pingebant Solem, & inde aſcendebant per annos uſque ad curvaturam rotæ. deniq; quatuor iſtæ differentiæ reperiuntur in Scripturis: alii ſcribunt à dextra ad ſiniſtram; alii à ſiniſtra ad dextram: alii à ſummo ad imum; alii ab imo ad ſummum: quia talis eſt diverſitas ingeniorum humanorum. Eadem invenies apud Herreram. Male autem cepiſti mentem eorum quæ poſtremo loco dicuntur: non enim hoc voluit, alios Americæ populos à ſummo ad imum ſcripſiſſe: ſed hanc omnino diverſitatem inter homines inveniri. quare illo capite non meminit aliorum, quam Hebræorum, Græcorum & Latinorum, qui diverſo modo ab uno latere ſcribunt: Sinenſium & Mexicanorum, qui itidem contrarium modum ſervant. De libris Mexicanorum & vicinorum Martyr & alii multi; de Peruanorum libris hactenus nemo. Perbellè autem argumentaris; Libros in Americæ partibus quibuſdam fuiſſe vult Benzo: ergo & in Peruvia fuerunt. apud quos fuerint, Acoſta, Herrera & alii tradunt, nempe apud Mexicanos & vicinos ſeptentrionalis Americæ incolas: in Auſtrali nulla librorum mentio apud authores quos viderim.

H. G.

Diversoria publico sumtu viis apposita, quibus iter facientes exciperentur, notat apud Sinenses Mendez Pinto, apud Peruanos Garcilas.

I. D. L.

PEr totam pene Asiam ejusmodi diversoria invenias, ut hoc non probet originem Sinensem.

H. G.

Lingua nec apud Sinenses quidem una. Et apud Peruanos, ut apud Floridanos, multiplex olim ob familias segreges, quod notatum est Garcila & Ciecæ & aliis. Et Incharum familiæ alia lingua quam subditorum. An aliqua sit vocum consonantia, is demum dicere poterit, qui omnes Sinensium & omnes Peruanorum linguas noverit.

I. D. L.

PIru nomen ab Hispanis impositum, ex levi aliqua causa, ut etiam multis aliis locis, *Yucatan*, quia incolæ ad interrogata responderant, *Yucatan*; quod ipsorum lingua sonat, Non te intelligo, teste Martyre Anglerio. Et alia multa nomina ab Hispanis ad illum modum indita passim occurrunt. In vasto autem illo terrarum tractu, quem jam Piru vocant Hispani, quam plurimæ linguæ fuerunt, sicuti & in aliis partibus Americæ. Quemadmodum autem Mexicani monarchæ in provincias subditas suam lin-

linguam introduxerunt,non tamen nativas ſingulas aboleverunt; ita & Peruani monarchæ Cuſcenſem linguam, quæ aulica erat, non familiæ tantum ipſorum propria. nam Hiſpani cum illam primo adirent regionem, imperio Incharum jam diu ſtabilito, in provinciis ſingulis peculiares linguas adhuc invenerunt, quæ necdum ubi indigenæ ſuperſunt abolitæ ſunt. Nam & magnum terrarum ſpacium occupavit lingua Aymara; quæ hodieque obtinet,ita ut Fr. Ludovicus Betonius grammaticam illius ediderit Ann. CIↃ IↃ CIII. Vti & Quichia,cujus Vocabulariũ edidit Didacus Gonzalez Holguin anno CIↃ IↃ CVIII. Valde autem diverſas fuiſſe illas linguas, ex paucis vocabulis quæ per occaſionem ab Hiſpanis ſunt prodita, ſatis liquet. Et verum eſt,nos has,ſiquidem illas ignoramus,non poſſe inter ſe comparare. Eadem ratio etiam apud alias gentes obtinuit & adhuc obtinet. Apud Sinenſes licet ad eundẽ modum non una eſt lingua, Scriptura tamen, quia characteres ſunt res ſignificantes, ab omnibus intelligitur, qui characteres callent. Quid autem ex eo colligas? ſane nihil minus, quam Peruanos à Sinenſibus ortos, quia diverſas linguas habuerunt, & unam aulicam, ſiquidem hoc etiam alibi reperitur.

H. G.

Hæc ideo attuli, ut ostenderem probabilia esse quæ mihi in mentem venerant. Neque enim pro exploratis ea obtrudo. Iterum dico, si quis certiora adferat, habiturum me ei gratiam. Sed agat ut inter bonos fieri oportet, non vitilitigatorum more.

I. D. L.

NEque ego aliter egi quam inter bonos agier oportet. Ostendi multis rationibus, ea quæ tibi in mentem venerant non esse probabilia. Tu autem tam iracunde, tam contumeliose ea accepisti, ut cum sperassem, te mihi gratias habiturum, me indignis modis exagitaveris, & male dixeris mihi pene singulis paginis: quod non est agere ut inter bonos oportet. Atque ut omnes sciant, me nihil pro vitilitigatore aut obtrectatore egisse, hic aperiam quid me moverit, ut Notas meas publico darem. Octo circiter mensibus, antequam Dissertationem tuam priorem ederes, illa mihi scripta sine nomine authoris à cognato tradita fuit, qui dicebat, se rogatum ut mihi illam daret legendam & expendendam: neque tamen tunc indicabat à quo acceperat aut cujus esset. Legi obiter: & cum animadvertissem, multa in illa esse quæ aut non erant vera, aut non satis probabantur, breviter

ter illa annotavi, atque ipſi tradidi, una cum libris Acoſtæ lingua Hiſpanica, & Vocabulario Mexicano, opinatus, eſſe authoris qui in Hollandia degeret, aut forte Hagæ, unde ipſe attulerat. Poſt illa cognovi, tuum eſſe fœtum, & à Fratre tuo Cognatum illum meum accepiſſe. Cum autem jam ſub tuo nomine in lucem Diſſertatio illa prodiiſſet, & huc veniret, arripui illam ſtatim, avens ſcire, an Obſervationum mearum aliquam rationem habuiſſes. Videns autem, nihil à te, quantũ meminiſſe poteram, (neque enim exemplar Obſervationum mearum ſervaveram,) eſſe mutatum, non putavi te in malam partem accepturum, ſi paulo diligentius examinarem, quid probabile aut ſecus tibi in mentem veniſſet. Fecique illud modeſte, & veritatis indagandæ ſtudio, non te vellicandi aut irritandi. Iudicent jam æqui Lectores, an ulla culpa in me hæreat, & an tu mihi gratiam habueris. Nam ingenue teſtor, ſi vel tantillum mutaſſes, aut ſaltem aliquam rationem eorum quæ amice monueram habuiſſes, numquam me verbum de hac re fuiſſe facturum, ſed contra, ſi id poſtulaſſes, lubenter omnia cogitata mea fuiſſe ſubminiſtraturum. Alia enim ſunt ſtudia mea: neque deſidero cum quoquam contendere de iis, quæ ſine detrimento fidei

dei in utramque partem disceptari possunt. Et quod nunc respondeo, coactus facio: At inposterum in hoc certamen non amplius descendam: sed patienter tolerabo quæcunque in me effuderis.

H. G.

ERrorem unum, quem multi errant, & qui huic inquisitioni obstare multum potest, evellendum mihi judico. Is est existimantium, statim à Noæ temporibus, aut à Babylonicæ turris extructione, in omnes terrarum partes diffusum fuisse humanum genus. At non ita se res habet. Et illi qui apud Mosem nominantur populi, circa Armeniam Syriamque sunt, aut non longe inde. Scythæ multo post, impellendo alii alios, venere ad septentrionalia Germaniæ, id est, in Scandziam: unde origo cæteris Germaniæ populis. Sed de hac re nihil nunc dicam amplius: sed liberaliter satis hanc rem tractabo in Antiloquio ad res Gothicas.

I. D. L.

TEcum sentio, non statim à Noæ temporibus, aut etiam à Babylonicæ turris exstructione, in omnes partes diffusum fuisse genus humanum: qui enim poterat in omnes? sed tamen credo, statim post illam linguarum confusionem migrandi exordium factum; & quidem maxime versus septentrionem, quia monumenta hoc testantur: licet fatear, me rationes intelligere

nondum posse, ob quas hoc potissimum sit factum: atque interea credam, etiam versus alias mundi plagas promovisse. Non dubito quin in Antiloquio tuo rationes migrationũ sis explicaturus: quas lubens videbo.

H. G.

NEque vero in America ulla sunt vestigia, quæ nos ad origines ducant antiquiores iis quas adsignavimus.

I. D. L.

IMo sunt, ut superius de Chichimecis & ipsis Mexicanis ostendi; nisi authoribus qui ista tradunt fidem derogandam putes: nam illorum antiquitates aliquot centenariis tuas excedunt.

H. G.

MAntissæ loco alia quædam libet annotare, non quod ad argumentum nostrum faciant, sed ut obtrectator ab alienis reprehendendis ad sua corrigenda se convertat. Pyxidis nauticæ mentio non reperitur ante annum millesimum ducentesimum & sextum.

I. D. L.

QVid ego hic corrigam? nihil dixi de pyxidis nauticæ prima mentione apud Europæos: fassus sum, illius usum in Europa haud ita antiquum esse: sed multa potuisse esse apud Africanos & Asiaticos, de quibus mentio apud nos nulla ante fuit.

H. G.

Machinas illas igniarias, quibus pridem bellantes utuntur, non esse in Sinis, testantur Iesuitarum literæ anni CIↃ IↃC XXI. *At sunt in locis vicinis Persidem respicientibus: eo à Persis venere: ad Persas à Turcis: ad Turcas à Venetis, qui machinis talibus usi jam anno millesimo trecentesimo octavo.*

I. D. L.

Communis opinio fuit, Tormentariam diu apud Sinenses fuisse: & legeram apud Fr. Ioannem Gonsalez de Mendoza in historia Regni Chinæ lib. 3. cap. 15. *Inter multas res dignas consideratione, nulla Portugallis, quum primum commercia exercere cæpissent in urbe Cantonensi, & nostris Castellanis, qui postea è Filippina Insula transierunt in Regnum Chinæ, majori admiratione digna visa, quam res tormentaria ibidem inventa: manifeste enim liquet, longe antiquiorem esse in illis partibus quam in Europa, ubi primo innotuit anno salutis* M CCC-XXX. &c. Et post pauca; *Laudant illius inventorem Vitei primum Sinensium Regem. & licet hoc minus credibile videatur ob antiquitatem illius Regis, certissimo tamen credere licet, Sinenses in expeditione ad regnum Pegu subjugandum ante annos mille quingentos tormentis fuisse usos.* Addit ibidem testimonium Capitanei Artiedæ ex Epistola ad Hispaniarum Regem,

&

& alia. Vt cuivis mirum videri possit, Iesuitas scribere, machinas illas igniarias, quibus pridem bellantes utuntur, non esse in Sinis; quum & Portugalli & Castellani se illas vidisse profiteantur, & quidem hi in relatione ad Regem suum. Citas literas Iesuitarum anni CIↃIↃCXXI, quas non vidi: sed in literis anni XX hæc scribunt: *Hi tormentorum bellicorum funditores conquisierunt, & è Fokiana provincia se reperisse crediderunt, quod ii se hujus artis peritos ex commercio forte cum insulis Philippinis esse jactarent. verum cum pulvere ferreaque glande probarentur, crepuerunt. ideo forte quod temperamentum ignorarent. Sinæ quippe tametsi æreas campanas fundunt affabre: tormenta tamen bellica non nisi ferrea, eaque breviora noverunt.* E quibus patet quam bona fide scriptores cites.

H. G.

Typographiam ante Portugallensium adventum Sinenses non habuere. Nam totas tabulas figuris incisas imprimere in materias molliores, res vetus est ferme ubique. Typographiam autem cum dicimus, intelligimus figuras singulas ac solidas seorsim adsumtas & certo ordine inter se compositas, atque ita impressas chartæ: de quo reperto inter Moguntiacenses & Harlemenses controversia est.

 I.D.L.

I. D. L.

CVm Typographiam dixi, intellexi prima illius rudimenta, & modum quo officia Ciceronis & alia quædam expressa leguntur. non enim noveram aliud nomen unum quo exprimerem. Hanc Sinenses non habuisse ante Portugallensium adventum, probandum erat, non pro authoritate dicendum. Quis autem fuit ille Portugallensium adventus, aut quomodo potuerunt Portugallenses illam artem Sinenses docere, quibus diu non licuit pedem in Regnum inferre, nisi forte paucis & sub militari custodia? pauci anni sunt ex quo Patres Societatis in interiora penetrarunt. Audi Trigautium cap. secundo. *Typographia apud Sinas antiquior aliquanto usus, quam apud Europaos. nam a quinque retro seculis certum est ab iis usu receptam. neque desunt qui asserant, prius ea Sinas fuisse usos, quam in hanc mortalitatem immortalis sese Deus abjecisset. verum à nostra differt non parum, quæ hieroglyphicis eorum characteribus ob multitudinem esset perdifficilis, &c.* Ex quo apparet me non frustra scripsisse, atque etiam hodie non aliam apud Sinenses esse in usu.

H. G.

NOn convenit quod dicit obtrectator, maxime feros fuisse Americanos, qui proximi essent septentrioni, & quod agnoscit, minime ibi reperiri hominum estores. I.D.L.

I. D. L.

CVm dixi maxime fuiſse feros Americanos, qui proximi eſsent Septentrioni, mores & politiam reſpexi, & comparate ad Mexicanos & illis vicinos: neque dixi minime, ſed minimum ibi reperiri hominum eſtores, atque admodum paucos, ſi remotiores reſpiciamus, aut eos qui Auſtrinam Americam incolunt. Optime hæc conciliari poſsunt, ſi quis æquum animum adferat.

H. G.

QVomodo equi facile vagentur, & ex manſuetis efferentur, hiſtoria eſt apud Garcilam. Eſtque id non minimum inter argumenta, quæ credi faciant Scythiam cum America non cohærere.

I. D. L.

PRius non ignoro, ſed oportet paſcua apta eſse ad quæ evagentur. Poſterius non pro certo & explorato attuli: nimirum Scythiam cum America cohærere, quanquam multi hoc credant, aut ſaltem anguſtum fretum dirimere.

H. G.

VIde autem qui probabilibus fidem derogat; quam multa dicat non credenda. Per Scythiam tranſiiſse homines non Scythas.

I. D. L.

AN non eſt credendum, per illas terras quæ Scythiæ nomine poſtea audie-

runt, transiisse homines non Scythas? quid; an non per Gallias transierunt homines non Galli? & an non ipsa S. Scriptura loca sæpe nominat illis nominibus quæ demum postea acceperunt? quid est vitilitigare, si hoc non est, quod tu hic facis?

H. G.

SCythiam olim fuisse sine equis, quod contra omnem est historiam: equos transire non potuisse per montes per quos transeunt homines.

I. D. L.

AN ergo tu putas, statim postquam Noa ex arca descendit, in omnes partes equos potuisse diffundi: & non ante propagari debuisse in illis locis Armeniæ in quibus Arca constitit? Homines autem melius posse montes transcendere, quam equos, clades Annibalis in Alpibus docuit; & industria hominum multa ardua superat, quæ jumenta non possunt attingere.

H.G.

INter Americam & Tartariam crebra freta intercurrere.

I.D.L.

UBi ego hoc dixerim, oportuit ostendere. nec versimile est. nam opinatus sum, aut contiguas esse, aut angustum fretum intercurrere. dixi autem pag. 26. notarum mearum; in Americæ illam partem, quam

quam Norwagos tranſiſſe vis, crebros ſinus & freta longe lateque in continentem penetrantia incurrere: quod tu mihi hic improperas, numquam venit in mentem: itaque hic non agis bona fide: aut non objicis quod merito ſit reprehendendum.

H. G.

TArtaros fuiſſe navigatores: quorum naves nemo vidit, nemo memorat in Euxino, aut Caſpio mari, aut in Mæoti, aut ad oram Sinaram, ita ut nihil reſtet ubi navigaverint præter glacialem Oceanum.

I. D. L.

SInenſes ergo non ſunt Tartari: non videris legiſſe quæ Marcus Paulus Venetus prodidit de navalibus & claſſibus magni Cham. Et glacialem Oceanum etiam navigari, ſoluta glacie, ſatis conſtat: & tu credis Sinenſes illa via ad Suevorum littora veniſſe.

H. G.

EGregie vero argumentatur, ſi Sinenſes fuere navigatores, tales fuiſſe & Tartaros unde orti Sinenſes; quaſi dicat; quia Batavi navigatores ſunt, ideo & Cattos tales fuiſse.

I. D. L.

NOn video quid huic argumento deſit, quo ita explodi mereatur: nam, ut dixi, Marcus Paulus Venetus oculatus teſtis ſcri-

bit, Tartaros multas naves habuisse & vicinum mare navigasse, antequam omnem illum tractum occupassent ubi nunc Sinensium imperium est, aut Sinenses audirent. Quique navigant ut ipsis oportunum est, qui remoti sunt à mari, flumina, qui mari vicini, mare. Hic nihil absurdi est, aut quod explodi debeat. vide quam egregie tu ante sis argumentatus, Gronlandi degunt in continenti Americæ septentrionalis, illi originem suam debent Norwagis, ergo pene omnes Americani illius partis Americæ oriundi à Norwagis.

H. G.

Miratur origines per Isthmum Panamæ dividi, cum tamen ibi montes collocet, & nullibi facilius quam in angustiis inhibeantur transitus.

I. D. L.

ET jure miror; nam montes etiam ardui obstare non possunt audaciæ & industriæ humanæ; Alpes Annibalem non prohibuerunt in Italiam penetrare, quanquam cum clade hominum & jumentorum; neque Andes Australis Americæ incolas prohibuere ab ora maris in vicinas valles & mediterranea loca descendere. Angustiæ autem nihil impediunt, si hostis ex adverso se non objiciat. Miror viro tam sagaci in

mentem potuisse venire, ut hoc reprehenderet. Neque tamen istic montes per transversum occurrunt, neque ibi angustiæ itinerum produntur; neque difficile fuit Hispanis, etiam obsistentibus barbaris, ultra citraque commeare: uti satis liquet è narrationibus eorum qui primi Isthmum invenerunt. vide etiam iter Didaci Almagri è Peruvia in Chilen per editissimos & asperrimos montes.

H. G.

Sinenses vult locis proximis adhæsisse, cum eos non in cætera tantum Indiæ sed & in Ceilanem (quam Selandivam vocat Græcus scriptor non editus, eandemque Taprobanam dicit; & est sane Taprobane apud eruditos omnes, non autem apud hunc qui se excellentem Geographum putat) navigasse omnes norunt. Etiam in Africam eos navigasse, testes sunt Xaverius & Teixera.

I. D. L.

NOn dixi in notis meis, Sinenses locis proximis adhæsisse, sed cum ageretur de Peruvia, hoc tantum dixi; *sed neque illi tam longinquas navigationes* (quales illæ in Peruviam) *suscipiunt, vicinas provincias, & insulas maris Indici adire contenti.* Itaque quod hc dicis de Ceilane, aut etiam Africa, nihil contra me facit; nam Ceilane insula est illius maris, & Africa, vicina provincia dici

 potest,

poteſt, reſpectu Peruviæ. Taprobanem autem eſſe Sumatram, omnes authores, qui ante Varrerium ſcripſerunt, crediderunt, ut ante dixi, quos tu pro eruditis haberi non vis, quia non idem tecum ſentiunt: quanquam fuerunt inter illos viri eruditione præſtantes. interea nolo refutare argumenta eorum qui putant eſſe Ceilanem.

H. G.

Illud quoque expedire nobis debet; Rhedas illas, quibus per glaciem vectos vult gigantes, quæ animalia traxerint.

I. D. L.

Oſtende quæſo, ut fidem tuam liberes, & me ad hoc expediendum compellas, ubi ego ſcripſerim, gigantes rhedis per glaciem vectos; quod mihi numquam ne per ſomnum quidem venit in mentem: de Samoedis tantum dixi pag. 158, *potuerunt enim vel rhedis ſuis ſuper glacialem Oceanum vehi* &c. illos non eſſe gigantes, ſatis conſtat. mirum quantum tibi permittas in abſurdis mihi affricandis, neque metuis ne lectores æqui malam tuam fidem deprehendant, & judicent te hic feciſſe, quod mihi nullo jure toties improperas.

H. G.

Probet vel uno teſte Hiſpanos à Romanis pulſos fuiße in Americam, ſicut nos Norwagos in Ameri-

mericam venisse probavimus.

I. D. L.

RESpicis opinor ad ea quæ in observatione prima dixi pag. 136. Quæ si æquus lector inspexerit, videbit me non dixisse Hispanos à Romanis pulsos in Americam, sed me ibidem agere de Canariis insulis, & Azoribus. Et subjunxisse: *fuere ea tempora in Hispania, ab eo tempore, quo illis cum Pœnis & deinde etiam cum Romanis res fuit, quæ illis gentibus Hispanicis pene necessitatem imponerent alias sedes quærendi: Pœnorum autem naves ipsis ad hoc opportunæ erant: & Hanno monstrator itineris & exemplum.* quibus nunc addo: Accedit (quod jam ante monuimus è Strabone) Gaditanos ipsos magnas naves habuisse & navigandi peritia excelluisse atque ambitum Africæ non semel tentasse. Atque adeo Hispanienses omnes navigandi industriam habuisse è multis Strabonis locis patet. Attuli autem illa non tanquam certa & explorata, sed tanquam probabilia & minime spernenda. Sed quæso, tu qui me postulas probare, quod non dixi, Hispanos à Romanis pulsos fuisse in Americam, num vel uno teste probasti, aut Æthiopas in Iucatanem, aut Sinenses in Peruviam venisse? multa probabilia esse videntur quæ nullo teste antiquo probari possunt: & licet probaveris

Norwagos in Groenlandiam, Americæ septentrionalis partem venisse, non tamen propterea probasti, illos maximam partem illius continentis incolis implevisse. Fortassis & respexisti ad ea quæ dixi in notis ad Acostam pagina 78: *Sin autem quis credibile hoc putat, multo facilius Hispani in* Americam *potuerunt pervenire.* Quibus jam addo. Cæterum hic observandum, Strabonem lib. 2. tractantem quæstionem de Oceano terram habitabilem undique ambiente, meminisse aliquot navigationum circum Libyam; (ita Africam vocat) quem locum hic inserere & expendere operæprecium judico. *Facta*, inquit, *deinde mentione eorum qui navigando Libyam ambiverint, scribit Herodotum in ea fuisse opinione, quosdam à Dario missos ambitum istum confecisse. Heraclidem vero Ponticum in dialogo perhibere, magum quendam à Gelone venisse, qui se navigio circumivisse diceret, sed rem testibus carere. Præterea narrat Eudoxum quendam Cyzicenum, qui Corinthii certaminis causa spectandi & libationis ferendæ missus esset, in Ægyptum venisse, quo tempore Euergetes secundus regnum tenuit: eumque cum Rege & ejus familiaribus sermones contulisse, maxime de sursum navigando Nilo.* Et post historiam Indi cujusdam semimortui à custodibus Arabici Sinus deprehensi, & græcam linguam edocti;

pro-

prosequitur de Eudoxo. *Illum ad Indos cum donis navigasse, & eorum loco reportasse aromata ac lapides preciosos: cæterum Eudoxum sua fuisse spe falsum, Euergeta quicquid navi advexerat adimente. Mortuo Euergeta, uxorem ejus Cleopatram regnum tenuisse, rursumque ab hac missum Eudoxum majore cum apparatu, ventis supra Æthiopiam fuisse delatum: ubi cum ad quædam loca appulisset, animos incolentium sibi conciliasse, frumenti, vini & caricarum largitione, quibus illi carebant: ab iisque contra aquam & navigationis duces accepisse, & vocabula quædam descripsisse. cumque invenisset summitatem proræ è naufragio superstitem equo insculpto insignem, idque cujusdam navi ab occasu advecti naufragium esse inaudivisset, secum in reditu detulisse: salvumque in Ægyptum rediisse: Filio jam Cleopatræ suffecto in Regnum, denuo omnibus spoliatum fuisse, comperto illum multa intervertisse. proræ autem summitatem ab ipso in Emporium delatam, nautisque exhibitam; fuisseque ab his edoctum Gaditanæ esse navis. nam Gaditanorum mercatores ingentibus uti navibus, pauperes parvis, quas equos appellent, à proræ insignibus, iisque eos piscandi gratia usque ad Lixum amnem circa Maurusiam navigare. atque adeo quosdam nauclerorum agnovisse, lignum illud unius eorum fuisse qui ulterius à Lixo fluvio navigarant, neque reversi fuerant. Ex his Eudoxum collegisse, posse Lybiam navigio*

cir-

circumiri: ita domum revertisse, omnibusque suis facultatibus impositis navigationem instituisse primum Dicæarchiam, inde Massiliam, ac reliqua deinde ora maritima navigata Gades pervenisse. Narrat deinceps quomodo semel atque iterum navigationem à Gadibus fuerit aggressus; quæ apud ipsum requirantur. Ex hisce autem quæ huc retulimus observandum primo; quid sibi velit Plinius cum dicit, *signa navium ex Hispaniensibus naufragiis feruntur agnita.* deinde, perperam à Nepote Cornelio relatum, *Eudoxum quendam sua ætate, cum Lathyrum Regem fugeret, Arabico sinu egressum Gades usque pervectum.* nam longe aliter & verisimilius hæc narrat author apud Strabonem; quippe à Gadibus solvisse: nam priores illæ navigationes ex Arabico sinu ad Indiam factæ fuerunt, ex indicio Indi qui in sinum Arabicum fuerat delatus. Tertio, Gaditanos tum navium structura, tum navigandi peritia excelluisse: (quod & alibi sæpe annotat Strabo) itaque haud frustra cuiquam in mentem venire posse, ab illis quoque originem ducere gentes Americanas, præsertim si consideret vicinas insulas Canarias aut Azores & alias, de quibus alibi jam dixi. Et sane ut nihil dicamus de eo quod casu potuit fieri, multæ causæ afferri possent, quæ Gaditanis persuaserint novas

vas habitationes quærere, potissimum Hispania flagrante bello illo quod Romani cum Pœnis gesserunt.

H. G.

SI scisset Cananæos eosdem esse, qui Phœnices, non mirum ei videretur, venisse eos ad Herculis columnas, ubi & colonias habuere nobiles.

I. D. L.

UNde quæso tibi liquet me nescivisse Cananæos eosdem esse qui Phœnices, aut ubi ego illius ignorantiæ indicium dedi? Credo te respicere ad annotationem meam pag. 111. ad secundam opinionem à Lescarboto allatam; quæ vult progeniem Chami, quum Iosua inciperet intrare in terram Chanaan & possessionem illius capere, ita fuisse attonitam ut animo deficerent, &c. ubi hoc tantum dixi: sed quomodo Chananæi, ut maxime se mari commisissent, potuerunt expelli in Americam? totum mare Mediterraneum enavigandum erat, & angustiæ inter columnas Herculis superandæ, & tum denique Oceanus penetrandus. Vt pateat me non habuisse rationem navigationis, sed tempestatum quibus illos in Americam actos, authores illius opinionis opinabantur. Neque mihi mirum visum, eos venisse ad Herculis columnas, quod tu mihi hic falso imponis. Deinde subjeci; si ad

oram Atlantici Oceani habitaſsent, aliquid fidei mereretur hæc conjectura. ad quod reponis, Phœnices ad columnas Herculis nobiles colonias habuiſſe; ſed vel uno teſte tibi probandum fuerat, tempore Ioſuæ habuiſſe; nam de eo agitur in illa opinione. Pluribus autem teſtibus probari poteſt, colonias illas tempore Ioſuæ longe eſse poſteriores.

H. G.

HAnnonem mira audacia ad Americam uſque promovet, qui ita Africæ hæſit littori, ut ne ad Canarias quidem pervenerit: quod & ex ipſius Hannonis & ex aliorum ſcriptis apparet.

I. D. L.

SEd tu mira male dicendi licentia hic mihi affingis, quod numqnam mihi venit in mentem, ut jam ſupra de Hiſpanis oſtendi. Videndum judicium Ramnuſii de hac navigatione Hannonis, de qua & quædam diximus ad locum Plinii.

H. G.

AVtololes quis unquam fando audivit aut legit navigaſſe? Quis eorum mores deſcripſit, ut cum Braſilienſium moribus poſſent comparari?

I. D. L.

QVæro eodem jure quis negaverit? tu nobis piſcatores Æthiopas in Iucatanam uſque tempeſtatibus provectos prodidiſti:

disti: nihil vetat Autololes mare accolentes etiam piscatores fuisse. Plinius autem scribit Autololes moribus feris fuisse; & Gætulos; hactenus cum Brasiliensibus comparari possunt. Ego illas conjecturas aliis expendendas reliqui, nondum eas ita amplexus sum, ut mihi irascendum putem, si alii illas non probent, aut propter illas cum quoquam velim contendere; quæro adhuc veritatem, non confido me invenisse.

H. G.

SEd hæc in Historia, Geographiaque, talia sunt, qualia in latina lingua dicere, remulco trahi, pro remis agi; cum remulco agi soleant etiam maximæ veliferarum navium.

I. D. L.

NVllum adhuc errorem meum in Historia aut Geographia demonstrasti, cum plures jam in utraque ostenderim tuos: fateor lubens me in lingua latina non esse tam disertum, quam tu es; non tamen ignoro quid sit remulco agi, licet hoc mihi dum res magis curo quam verba, imprudenti exciderit. ferulam itaque fero, & gratiam habeo quod monueris & castigaris.

H. G.

QVale in Physica, negare ranas & mures imperfecta esse animalia; quod ordinario modo coëant & pariant; cum præter ordinarium illum modum,

modum, naſci eos ex luto & putredine, ut vermes & ſerpentes, notiſſimum ſit, eoque à perfectioribus animalibus non parum differant.

I. D. L.

MAgnum ſane argumentum, me Phyſicæ eſſe ignarum, quod non credam mures aut ranas ex luto & putredine naſci, quod tu notiſſimum dicis, non autem probas: & etiamſi hoc concederem: an ſequitur, non parum differunt à perfectioribus animantibus, ergo ſunt imperfecta? Gradus ſunt perfectionis inter animalia, itaque perfectiorum reſpectu etiam imperfecta dici poſſent, quia non aſſequuntur illam perfectionem quæ cætera; atque eo ſenſu non negavi mures aut ranas imperfecta eſſe animalia. Si ego tam levicula tibi objeciſſem, vix nomen inveniſſes quod mihi affingeres. Si autem tibi ſimilis eſſe vellem, quam multa in ſcriptis tuis potuiſſem reperire reprehenſioni magis obnoxia, quam hæc quæ è meis excerpſiſti: licet tibi ſecus forte videatur, qui tua tantopere amas, ut exiſtimes nihil in illis reprehendi debere aut poſse.

H. G.

CErte niſi meliores, quam iſtæ ſunt, cenſuras exerceant illi temporis cauſa facti presbyteri, careri illis potuit.

I. D. L.

I. D. L.

ITa ſane, ſi tales exerceant quales tu; an meę tales ſint, judicabunt æqui Lectores. ego cum notas meas addidi ad tuas conjecturas, non magis presbyteri partibus functus ſum, quam tu Legati cum illas ederes, quare non eſt quod ordini meo poſſit objici, etiamſi in illis (quod tamen nondum oſtendiſti) imprudenter erraſſem. Non ſatis autem erat, in me toto tuo ſcripto debacchatum fuiſſe; ſub finem demum etiam odium in Eccleſiam è qua exiiſti manifeſtandum erat. De qua re non eſt hic dicendi locus, neque materias tam diverſas commiſcendas autumo. Vt autem conſtet notas meas in priorem tuam Diſſertationem rectas fuiſſe, breviter pro concluſione hic repetam, quæ fuerint inter nos controverſa. Negavi primum ullam cauſam eſſe cum diviſio migrationis gentium in Americam ſtatueretur ad Iſthmum Panamæ: nihil enim obſtare, quin ſine impedimento populi ab una parte in aliam potuerint commeare. hic tu tantum excipis, montes ibi eſſe & anguſtias; quod etiamſi ita ſe haberet, (quod tamen nego) non tamen impedire poteſt hominum ultra citraque commeatum. Deinde pro nova opinione dixiſti; *omnes ferme populos qui cis Iſthmum ſunt Panamæ, ex Norwa-*

gia ortos arbitror. Oſtendi multis argumentis, quorum ne unum quidem in hac ſecunda Diſſertatione refutaſti, id minus probabile eſſe, quum Mexicani (de quibus hoc maxime credi volebas) ante ad Lacum Mexicanum venerint, quam Norwagi è Gronlandia potuerint movere; quinimo ad Lacum & in ulterioribus regionibus eoſdem reperiſſe alias & alterius originis gentes qui jam multis annis ibidem incoluerant: è quibus utique ſatis liquet, non modo non ferme omnes populos qui cis Iſthmum Panamæ ſunt, ſed ne quidem, quos maxime volebas, Mexicanos, Chichimecas, Otomies, alios, ex Norwagia ortos. Ad quæ tantum hoc reſpondiſti, quum inter nos conveniat Gronlandos à Norwagis ortos, ſaltem jam haberi partem ſeptentrionalis Americæ à Norwagis cultam: & quia Herrera ſcribit eos qui juxta Bacalaos degunt Lapponibus cultu & aliis notis ſimiles eſſe; etiam de hac parte probabile eſse. Sed vide quæſo an non recte in hæc tua quadret Horatianum illud, *Amphora cœpit Inſtitui*, &c. aut, *Parturiunt montes*, &c. Nam quum Lector expectaret magnum aliquid & ſuperioribus ſeculis ignoratum, quale revera eſset, originem tot populorum, qui ſeptentrionalem partem Americæ incolunt, oſtendere: nunc tan-

tandem eo reditur, ut Gronlandi & Bacalai à Norwagis & Lapponibus orti dicantur.

Tertio asseruisti, eos qui Iucatanem & vicina quædam loca tenent, eos alterius esse originis: nimirum ex Æthiopia Oceano adjacente eo delatos: *quod facile evenire potuit provectis nonnihil ab ora sua piscatoribus, deinde per ventos illos vehementes qui recta in Americam ferunt, abreptis*, &c. & porro Abyssinorum propaginem esse voluisti. Ad quæ multa respondi, quæ hic repetere longum esset, inprimis autem, quod Abyssinorum imperium numquam ad Oceanum pertigerit. Respondes, ad Congense regnum pertigisse; quod neque verum est, neque si esset, ex eo sequeretur ad Oceanum Abyssinorum imperium attigisse. Vt autem magis credas imperium illud numquam ad Oceanum pertigisse, addam hic duo loca è lib. I. P. Nicolai Godingii è Societate Iesu, de Abyssinorum rebus, capite secundo. *Certum est*, inquit, *neque Madianiticam Æthiopiam, neque Hespericam, quæ per interiorem Libyam funditur, neque illam quæ Zanzibaris terras continet, neque eam demum, ad quam* Congi, *Angolæ, cæteraque Guineæ ac vicinarum provinciarum regna pertinent, quamque intactam prisci reliquerunt, Abassiæ nomine censeri, sed illam solum quæ sub Ægypto est, & eos dumtaxat complecti-*

tur Æthiopes, qui orientales incolunt regiones.

Idem cap. IX. Preteiannes, *etsi olim aliquot in Erythræo mari portus tenebat, quos tamen omnes vi & armis Turcæ occuparunt, Oceani quidem fines numquam ditione attigit.*

Quarta quæstio erat de Peruanis; quos à Sinensibus ortos volebas; id vero omnium minime credibile esse ostendi, ob navigationis longinquitatem & difficultatem; aliasque multas ob causas. Et quia inter alia ut morum congruentiam aut saltem parem industriam probares, attuleras Peruanos eodem modo scribere, quo Sinenses. Scriptura Peruanis non per literas, sed per rerum notas, idque à summo chartæ ad imum, ut in Sinis. Notavi, Peruanos neque chartam neque scripturam aut characteres ad modum Sinensium habuisse. Ad quæ quam parum apposite responderis, æquus Lector judicabit. Quid multa? si omnia considerentur quæ in hac secunda Dissertatione attulisti, nihil reposuisti quod Notas meas priores evertat, sed contra adhuc plures errores accumulasti. Sed finem facio, & tibi meliorem mentem & majorem modestiam precor.

FINIS.

INDEX RERUM

Observandarum in utroque Libello.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

Fran-

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

T.

FINIS.

Errores aliquot Typographici corrigendi.

PAg. 8. l. 24. servit pro struit. p.16. l. 16.indicas. p.19. l.1. vinieron. p.25.l.20. ayora. p.34. l. ult. imprimis. p. 44. l.15. desineret. p. 48. l.9. nequaquam. p. 57. l. penult. addendum : & Tapuyis in Brasiliensi tractu, ut à nostratibus observatum. p. 61. l.11. conseguir. p.80. l.20. secundum Californ. p.85. l. 23. Pachacamac. ibid. penult. magnificentissimo. p.86. l.14. quid. p.88. l.1. o Siglos. p.89.l.1. pro signis lege seculis.